



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Liber IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

ARNOLDI CORVINI
 à BELDEREN J. U. D.
JUS CANONICUM,
 PER
APHORISMOS
Strictim
EXPLICATUM.
 LIBER QUARTUS.

De Delictis.

TITULUS I.



ACTENUS de Judicio Civili: nunc ad *Criminale* transgrediamur, in quo de crimine sive delicto, publicæ disciplinæ causâ agitur.

Nam, licet jus Pontificium pœnarum atrocitatem exhorreat, præsertim quibus de sanguine & vita hominis agitur, tamen, ut mali coërceantur, & boni inter malos quieti vivant, *c. non frustra. 23. qu. 5.* certas adinvenit pœnas, quibus fontes, citra sanguinis vindictam, aut membrorum debilitationem, plecti possint.

Sustulit etiam hoc Ius distinctionem Iuris Civilis inter privata delicta & publica; & omnia voluit publica esse. *per Gl. in c. infames. in verb. fures. 4. qu. 1. Hostiens. in c. statuumus. num. 19. de malef.*

Delicti sive criminis nomine hic venit non solum dolo malo admissum, sed damnum, culpâ, licet levissimâ, datum. *c. fin. de jurejur.*

Oritur delictum ex ipsa re, id est, maleficio. *l. 4. in princ. ff. de oblig. & act.*

Qs

Cogi-

Cogitatione solâ conceptum à jure non coërcetur. *c. cogitationis. qu. 3. de pœnit. dist. I.*

Delicta, quæ hoc jure considerantur, sunt vel *quarumcunque personarum*: vel *certarum*; ut *puerorum, Clericorum.*

Quarumcunque personarum crimina committuntur contra Decalogum; ejusque vel *tabulam primam*, vel *secundam*.

Contra primam; *Simoniam, Judaïsmus, Saracenisimus, Hæresis, Schisma, Apostasia, Anabaptismus.*

Contra secundam; *Homicidium*, contra præceptum secundum: *Adulterium, & Stuprum*, contra præceptum tertium: *Furtum*, tam *qualificatum*, quam *simplex*, contra præceptum quartum: *Falsum*, contra præceptum quintum.

Certarum personarum crimina sunt; *Calumnia* in crimen deferente; *Collusio*, in accusato de crimine & accusatore; *Venatio, Percussio, Maledictum, Ministratio*, in clerico; *Excessus officii* in Prælato.

De his omnibus ordine tractabimus.

De Simonia.

TIT. II.

Simonie crimen (à Simone Mago, qui primus in novo testamento hoc scelus admisit, dictum, *c. qui studet. I. qu. I.*) tunc admittitur, cum aliquid pro rebus spiritualibus exigitur, vel promittitur.

Res spirituales intellige non tantum propriè, ut consecrationes, benedictiones, Sacramentorum distributiones, ordinationes; & *qua habentur in c. non satis. & c. cum in Ecclesia. 9. c. nemo. 14. c. ea qua. 16. hic.* sed & res temporales spiritualibus adnexas; ut præbendas. *c. si quis objecerit. I. qu. 3.*

Est *Simoniam*, vel *Conventionalis*; cum aliquid datum est, vel de dando convenit: *c. 2. de confess. c. sunt nonnulli. I. qu. I.*

qu. 1. Vel *Mentalis*; cum nullum factum intercessit, sed sola prava dantis aut recipientis mens & intentio. *c. tua nos. 24. c. ult. hic. c. ex multis. 1. qu. 1.*

Hæc nullâ pœnâ à jure coërcetur; ne quidem resignationis aut restitutionis, cum cogitationis pœnam nemo patiat, scilicet quoad forum exterius; proinde sufficit eam expiari per pœnitentiam coram Deo. *c. ult. hic. junct. c. cogitationis. de pœnit. dist. 1.*

Contrahitur *conventionalis Simonia*, non tantum cum pecunia ipsa pro re sacra datur, recipitur, promittitur; sed & cum dans à lingua, vel manu, vel obsequio recipientis munus exigit. *c. sunt nonnulli. 1. qu. 1. Gloss. 1. in Sum. 1. qu. 1.*

Munus à lingua, est favor; munus à manu, est pecunia; munus ab obsequio, est servitus indebitè præstita. *d. c. sunt nonnulli. 114.*

Pecuniæ appellatione intellige, quicquid homines possident: *c. totum quicquid. 1. qu. 3.* sive sit res corporalis, mobilis vel immobilis; sive incorporalis. *l. pecuniæ nomine. 222. ff. de verb. signif.*

Quod sponte, sine promissione, pacto, conditione, animo permutandi pro re spirituali, eique annexa, offertur, recipi, absque scrupulo simoniacæ pravitatis, potest. *c. tua nos. §. si verò. hic. c. etsi quæstiones. §. qui autem. c. veniens. c. ex tua. c. fin. eod.*

Ad cognoscendam enim Simoniam, considerandum est, quid, *c. servi. dist. 19.* quale, *c. pen. & ult. dist. 49.* à quo, *arg. c. in gradibus. 3. qu. 8.* pro quo, *c. dictum est. 1. qu. 1.* quâ intentione, *c. in scripturis. 8. qu. 1. c. officii. de elect. quantum, c. Ananias. 15. qu. 1.* offeratur. *vid. c. etsi quæstiones. hic.*

Accusare Simonix, quilibet catholicus potest; *c. dominus. hic.* licet sit servus, etiam dominum: criminofus, meretrix. *c. tanta. 7. hic.*

Testes, de Simonia testimonium reddentes, repelli non possunt, nisi exceptionibus, quibus probatis appareat,

pareat, eos malignitate potius, quam justitiæ zelo adductos testificari, *c. licet Heli. 21. circ. fin. hic.*

Accusari de Simonia potest tam dans, quam accipiens, *c. non satis. 8. §. unde quisquis. c. veniens. 19. c. dilectus. 30. vers. tam in dantes. c. consulere. 38. c. sicut. 39. §. fin. c. quoniam. 40. vers. tam recipiens. hic.* item is pro quo sciente & consentiente alius dedit: *c. Matthaus. 23. c. sicut tuis. 33. vers. nisi postea. eod.* non is pro quo ignorante aut invito dedit alius, aut promisit. *c. nobis fuit. eod.*

Accusatus interim, donec de veritate constiterit, Missarum solennia celebrare prohibetur. *c. accusatum. & c. seq. hic.*

Convicti de Simonia variè puniuntur, pro varia inter Simoniacos distinctione. Nam alii simoniacè ordinantur à Simoniacis, alii simoniacè à non Simoniacis, alii non simoniacè à Simoniacis. *c. statuimus, ut sicut. 107. §. ult. & cum cann. seqq. 1. qu. 1.*

Simoniacè ordinantes vel ordinati, ut & mediatores, *c. si quis Episcopus. 1. qu. 1.* deponuntur; *c. consulere. 38. hic. c. quos constiterit. 6. & c. statuimus decretum. 108. 1. qu. 1.* fructus, quos perceperunt, sub periculo animæ restituere obstringuntur; *c. 2. hic. Extr. com. excommunicantur;* nec nisi à Pontifice absolvi possunt; *c. quicquid. 1. qu. 1. c. reperiuntur. §. fin. c. si quis Episcopus. §. fin. c. qui studet. 1. qu. 1. d. c. 2. Extr. com. hic.* pecunia data aut accepta restituitur. *c. si quis dator. 1. qu. 3.* id est, confiscatur. *Gloss. in d. c. si quis dator.* si non resipiscant, sed in hoc crimine perseverent, perpetuo anathemate feriuntur. *d. c. si quis dator. c. quos constiterit. & c. ventum est. 1. qu. 1.*

A Simoniacis, licet non simoniacè, ordinati, tamen deponuntur; nisi probent, se, cum ordinarentur, nescivisse eos esse Simoniacos, eosque pro Catholicis in Ecclesia fuisse habitos. *c. de simoniacè. 22. hic. d. c. statuimus decretum. 108. & cum cann. seqq.*

Monac

Monachus ignorans per Simoniam in monasterium receptus, post monasterii à se factam abdicationem, ad idem monasterium reducitur, vel in alio ejusdem Ordinis collocatur; *c. de regularibus. 25. hic.* sciens, ad arctius monasterium transfertur. *d. c. de regularibus.*

Monialis, hoc casu monasterio exturbata, in locum regulæ arctioris, ad agendam perpetuam pœnitentiam retruditur. *c. quoniam. 40. eod. & d. c. de regularibus.*

Pecuniâ aliquid ab Ecclesia qui redemit, & qui ab eo accepit, & qui pro eo intercessit, infamiâ notantur. *c. ult. 1. qu. 3.*

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

TIT. III.

SEquitur de concessione jurisdictionum & Ecclesiarum sub pretio vel annuo censu; quia Simonix species est: *arg. c. ex multis. 1. qu. 3.* puta si Prælatus certam pecuniæ summam accipit; lucrum verò totum, vel ejus partem, is cui concessio facta: *arg. c. ex multis. 1. qu. 3. c. 2. & 3. hic.* Non si Prælatus certo salario alicui, ut jurisdictionem exercent, quia ipse fortasse infirmus, absens, *c. pervenit. de appell. c. de rectoribus. de cleric. agrot. constituto,* totum lucrum recipiat. *c. militare. 23. qu. 1.*

Quo casu nec Prælatus peccat, quia Episcopalem Jurisdictionem exercentibus salarium dare potest: *c. caritatem. 12. qu. 2.* Nec qui operas suas spirituales locat; si aliunde sumtus non habeat; *c. duces. 1. qu. 1.* quia qui Altari servit, de Altari vivere debet. *c. secundum Apostolum. de præb.*

Aliter si Prælati jurisdictionem suam & Ecclesiarum regimen, ut dictum, concedant; quia, cum jus spirituale, id est, jurisdictionem, quæ spiritualis est, vendant,

dant, *c. ex multis. 1. qu. 3.* Simoniam committunt, ut not. in *c. si quis Episcopus. 1. qu. 1. c. salvator. 1. qu. 3.* & propterea pœnis Canonicis in simoniacos constitutis subjacent. *c. 2. hic.* Proinde Episcopus, si id commisit, potestate conferendi privatur; *c. 2. hic.* si eo sciente & dissimulante à subditis perpetratum, Canonicæ pœnæ subicitur, *c. 2. eod.* id est, duobus mensibus excommunicationi subjacet: *c. quicquid. 1. qu. 1.* Si Episcopo subditus, eo ignorante, id commisit: si Presbyter, quatuor mensium excommunicatione plectitur; si Diaconus, trium; si Subdiaconus vel alius Clericus, arbitrariâ pœnâ & excommunicatione plectitur. *d. c. quicquid.*

Qui vices Prælati, vel Ecclesiæ administrationem, pretio dato, & annuo censu constituto, suscepit, officio suscepto privatur, *c. 1. hic.* & à Clero removetur. *d. c. 2. eod.*

Fructus Ecclesiarum & obventiones temporales ementes & vendentes his pœnis non subjacent, quolibet enim alienationis titulo distrahi possunt. *c. fin. hic.*

*De magistris: & ne aliquid exigatur pro
licentia docendi.*

T I T. IV.

Simonix speciem præ se fert, *Abb. in c. 1. hic.* licet propriè Simonia non sit, *Innoc. in c. 2. eod.* cum docendi licentia pro pecunia conceditur.

Qui docendi munere fungitur, *Magister* vocatur, eò quod magis quàm alii monet ac monstrat, *l. cui præcipua. 57. ff. de verb. signif.*

Talis debet in qualibet Ecclesia Cathedrali, imo & alia, cujus sufficiunt facultates, à Prælato cum Capitulo, aut majori & saniori ejus parte, constitui, eique de beneficio (quo fruiturus quamdiu in docendi perstiterit munere, *c. quia nonnulli. §. assignetur. hic.*) prospici, ut Clericos & pauperes

pauperes in humanioribus literis aliisque facultatibus gratis doceat. *c. quia nonnullis. 4. §. verum. c. prohibent. §. sanè. hic.*

Tenetur enim Ecclesia, sicut pia Mater, necessitati eorum providere, qui parentum opibus non possunt juvari. *c. quoniam. c. qui nonnulli. eod.*

Qui docendi licentiam vendit, aut idoneæ personæ licentiam docendi petenti interdicit ne doceat, beneficio Ecclesiastico privatur. *c. 1. & tot. tit. hoc.*

De Iudæis.

T I T. V.

Iudaos hic dicimus non secundum carnem, sed secundum fidem; id est, non eos qui sunt ex natione Judaica (Tales enim possunt esse Christiani); sed eos qui veteri Testamento, ad literam superstitiosè intellecto, fidem habent; novum verò rejiciunt. *c. Martha. §. caterum. de celebr. Missar. & c. translato. de Constit.*

Hi aliquando eodem cum Christianis jure utuntur; aliquando deteriori.

Eodem jure: in contractibus, matrimoniis, leges Christianorum sequuntur. *l. nemo Iudæorum. 7. C. hic.* ut Christiani die Dominico; ita nec hi die Sabbati inviti ad judicium trahuntur; à Christianis violari prohibentur. *l. nullus. l. die Sabbato. l. in Synagogam. C. eod. ubi vide Aphorismos nostros.*

Deteriori jure; Quia ab honoribus & dignitatibus remonentur; *c. cum sit. 16. hic.* Novas Synagogas extruere prohibentur; *c. 3. 7. hic. l. ult. §. 1. C. eod.* Ab Actis legitimis repelluntur; *c. alieni. 2. qu. 7.* Christiana mancipia, *c. 1. hic.* famulos, nutrices, obstetrices Christianas, *c. ad hac. 8. & c. etsi Iudæos. 13. eod.* habere prohibentur; Ab assidua Christianorum communione, *c. sæpe. 8. qu. 1. & connubiis, c. cave. 15. & cc. seqq. 28. qu. 1.* abstinere tenentur; In die parasceves ostia & fenestras
clausas

clausas habere coguntur; *c. quia. 4. hic.* In diebus passionis dominicæ in publicum prodire vetantur; *c. in nonnullis. 15. §. in diebus. eod.* Habitu, per quem à Christianis discernantur, utriusque sexus, uti jubentur; *d. c. in nonnullis.* Judæi Medici Christianos in infirmitatibus invisere, eis medicamenta præbere, in eisdem cum eis balneis esse prohibentur. *c. nullus. c. omnes. 28. qu. 1.*

Quæ si Judæi non servaverint, puniuntur; vel in personis, *ut c. sepe. dist. 28.* vel pecuniariter, *c. cum sit. hic.* vel spiritualiter, sed indirectè, ut cum fideles eis participantes excommunicantur. *c. etsi Iudæos. hic. c. quanto. de usur. c. de terris. de decim.*

Christianum mancipium si habeant, illud, quicumque Christianus, datis duodecim solidis, vel ad ingenuitatem, vel ad servitium redimere potest. *c. 1. & 2. hic.*

Judæi qui prædicta servant, nec ad fidem Christianam cogi: *c. sicut Iudæi. 9. hic.* nec in personis, nec bonis violari; nec in festivitatibus molestari, nec eorum cœmeteria violari, corpora humata effodi debent: qui contra faxit, vel officii privatione, vel excommunicationis censurâ plectitur. *c. sicut Iudæi. 9. hic.*

De Saracenis.

T I T. VI.

Saracenos hic itidem intelligimus, non exigente, sed religione.

Accipiuntur & hic *propaganis, seu gentilibus;* quamvis propriè *gentiles* sint, qui idola colunt, eisque sacrificant; *l. 2. C. de pagan.* Saraceni verò utrumque testamentum, vetus & novum, saltem ex parte admittant, sed multifariam peccent; Christum Salvatorem esse negantes; loca erroribus suis contraria, à nobis esse corrupta asserentes.

Hi

Hi eisdem fere pœnis, quibus Judæi, subjacent. Nam Meschitas extruere vetantur; *Clem. un. de Judæis.* simulacra extruentes, dejiciuntur & morte afficiuntur; *c. non solum. 28. qu. 1.* mancipium Christianum habere prohibentur; *c. Judæi. 5. de Judæis.* honoribus & dignitatibus removentur; *c. cum sit. 16. c. ex speciali. 18. eod.* distincto à Cristianis habitu incedere jubentur; in die passionis Dominicæ in publicum prodire vetantur; *c. in nonnullis. 15. eod.* Christiani ab eorum communione sub pœna censuræ Ecclesiasticæ abstinere jubentur; *c. sæpe. c. seq. 28. qu. 1.* nisi cum eis, ad fidem Christianam convertendi gratiâ vivant; *c. quam sit. eod.* Eis subsidium tempore belli dantes, prohibitas merces, ut arma vendentes, curam eorum navium gerentes, excommunicantur, bonorum privatione mulctantur, capientium servi fiunt. *c. ita. 6. c. significavit. 11. c. quod olim. 12. c. ad liberandum. 17. eod.*

De Hæreticis.

T I T. VII.

HÆreticus (ab hæresi, id est, electione dictus), est qui sibi eligit doctrinam singularem, & à sensu Catholicæ Ecclesiæ alienam; *c. hæresis. 24. qu. 3.* eamque pertinaciter defendit. *c. qui in Ecclesia. 24. qu. 3.*

Non ergo Hæreticus censendus, qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci contentione defendit; præsertim, quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererit, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus accepit; & veritate, quam sollicitè quærit, inventâ, corrigi paratus. *c. dixit Apostolus. 24. qu. 3.*

Tria ergo, ut quis possit puniri ut Hæreticus, requiruntur: 1. Falsum eum dogma tueri, & ita in articulis fi-

R

dei,

dei, & contra Ecclesiæ decreta errare: *c. ad abolendam. hic.* 2. Scienter errare, & ita perverſæ eſſe voluntatis: *c. hereticus. 24. qu. 3.* 3. Pertinaciter errorem defendere, nec corrigi velle. *c. qui in Ecclesia. c. schisma. 34. can. hæc eſt fides. 14. qu. 3. c. damnamus. in verb. pertinaciter. de Sum. Trinit.* His adde, 4. Fuiſſe baptizatum. Siquidem Pagani, Judæi, alieni à fide, non ſunt Hæretici.

Dubii in fide etiam infideles & hæretici dicuntur, *in. c. 1. hic.* ſed ita demum ſi in tali dubitatione animi habuerint firmitatem, & pertinaciam, ob quam in illa dubitatione perfeverarunt. *Ionn. Andr. add. c. 1.*

Hæreticorum licet una ſit vanitas, *c. excommunicamus. 13. c. pen. hic.* & adverſus Dei Eccleſiam conſpiratio, *c. quidam autem. in fin. 24. qu. 3.* tamen quia quidem una eſt veritas, errandi tamen à ſcopo plures viæ; eorum variæ & diverſæ ſunt ſectæ. *Quas vide c. quidam. 14. qu. 3. d. c. excommunicamus. hic. l. Arriani. C. eod. Nov. 109. Auguſt. lib. de heret.*

Nomina habent; vel *ab Auctore ſectæ*; ut Manichæi à Mane; Eutychniani, ab Eutyche; Menandriani, à Menandro; Nicolaitæ, à Nicolao; & alii: vel à *cauſis, quas eligendo inſtituerunt*; ut Aquarii, Alogii, Anthropomorphitæ, & alii. *d. c. quidam autem. 24. qu. 3.*

Hæretici ut inquirantur & extirpentur, *ordinariè* ad ſingulos Episcopos per ſuas Diœceſes pertinet; *d. c. excommunicamus. 13. §. adjicimus. hic.* remiſſius ſi agant, alii idonei; eis Episcopatu remotis, in eorum locum ſubſtituuntur: *d. c. excommunicamus. §. fin. Extraordinariè* ad inquiratores hæreticæ pravitatis, à ſummo Pontifice, ad hoc, ut adverſus hæreticos, vel conjunctim cum Episcopis, vel ſoli, ſecundum formulam à jure iis definitam, procedant, conſtitutos. *c. cum officium. 1. hic. in 6. c. ut omiſſa. 12. c. per hoc. in 6.*

Ad Iudices ſeculares regulariter notio hujus criminis, cum merè ſit Eccleſiaſticum, non pertinet: *c. ad abolendam.*

lendam. hic. sed tenentur Ecclesiasticorum sententias exequi
c. ut inquisitionis. 18. hic. in 6. nullo in contrarium statu-
 to obstante. *c. statutum. 9. eod. in 6.*

Proceditur contra hæreticos, eorumque receptores,
 fautores & defensores, nec non de hæresi suspectos, cum
 eis communicantes; *c. didicimus. 31. §. invenimus. & c.*
schisma. 24. qu. 1. cum & illi hæreticis connumerentur:
c. excommunicamus. 13. §. credentes. & c. pen. & fin. hic.
c. 2. §. heretici. c. ut officium. 11. c. accusatus. 8. §. Sacer-
dotes. eod. in 6. simpliciter, de plano, & absque Advocato-
 rum ac judiciorum strepitu & figura. *c. statuta. 20. hic. in*
6. ubi Gloss.

Admittuntur in inquisitione facienda testes excommu-
 nicati, socii criminis: modo, ex verisimilibus conjectu-
 ris, testium numero, personarum tam deponentium
 quam eorum contra quos deponuntur, qualitate, aliisque
 circumstantiis, falsum dicere non præsumantur. *c. in fidei*
favorem. 5. & c. accusatus. 8. §. 2. licet. hic. in 6. Quod
 & in Simonia crimine, aliisque quibusdam, ad eorum de-
 restitutionem receptum. *ut in c. 1. de testib. in 6. c. tanta est*
labes. 7. de Simonia.

De hæresi convicti, & *vivi*, & *mortui*, variè puniun-
 tur.

Mortui; excommunicantur; *c. final. 24. qu. 2.* eorum
 bona confiscantur, *c. accusatus. 8. §. in eo verò. hic.* nec
 filiis orthodoxis reservantur, *c. urgentis. 10. hic.* sepultu-
 ra Ecclesiastica ipsis denegatur, *c. nec quisquam. §. creden-*
tes. vers. sanè Clerici. 24. qu. 2. fac. c. Ecclesiam. 27. &
seq. de consecrat. dist. 1. nisi absolvantur: *c. ex parte. 15.*
in fin. & c. sacris. 12. de sepultur. c. 1. & 2. 24. qu. 1. se-
 pulti Ecclesiasticè, exhumantur: *d. c. sacris.* qui eos sepe-
 livit, excommunicatur, nisi propriis manibus publicè
 extumulet, eosque terræ projectos relinquat, non absol-
 vitur. *c. quicumque hæreticos. hic. in 6.* pollutum cœme-
 terium reconciliatur. *c. consulisti. 7. de consecr. Eccles.*
vel. alt.

Vivi puniuntur, & in persona, sive propria, sive liberorum; & bonis.

In persona propria, quod excommunicantur, c. ad abolendam. 9. c. excommunicatus. 12. c. pen. hic. & unà cum scriptis damnantur, c. fraternitatis. 4. hic. c. nullus. 3. qu. 4. iis subjecti, à debito fidelitatis, dominii, & obsequii, absolvuntur, c. absolutos. hic. eorum liberi à potestate patria liberantur; c. quicumque. §. illorum. eod. in 6. à conciliis & officiis publicis removentur, c. cum quibus. 24. qu. 3. c. excommunicantes. §. credentes. hic. c. 2. §. hæretici. eod. in 6. acta illorum rescinduntur; c. I. de schism. ad agendum, c. fin. c. excommunicamus. 13. §. credentes. hic. testimonium dicendum, accusandum, d. c. excommunicantes. §. credentes. c. definivimus. 1. 4. qu. 1. testandum, c. excommunicamus. hic. contrahendum, c. omnis, qui recedit. & can. 26. qua dignior domus. 24. qu. 1. c. clericus. c. cum quibus. 24. qu. 3. patrocinium, si sunt Advocati, præstandum, d. §. credentes. non admittuntur.

In persona liberorum; quod illi ipsis succedere, licet sint orthodoxi, nequeant: c. vergentis. 10. §. ne hujusmodi. hic. quod usque ad secundum lineæ paternæ, ad primum lineæ maternæ gradum, eorum filii, ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium seculare, non admittantur; nisi parentes ante mortem se emendaverint. c. statutum. eod. in 6.

In bonis; cum acquirendis; quod ad hæreditatis successionem non admittantur, d. c. excommunicantes. §. credentes. c. excommunicamus. tum acquisitis; quod ea & cum iis dotes uxorum, quæ, scientes eos esse hæreticos, ipsis nupserunt, c. decrevit. hic. in 6. ipso jure confiscantur; & si Clerici sint, Ecclesiæ, à qua stipendia perceperunt, si Laici, fisco Principis temporalis adjudicantur c. excommunicatus. 13. §. damnati. hic.

Confiscationis tamen executio, vel bonorum ipsorum occupatio, per Principes, aut alios fieri non debet, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, super hoc potestatem habentem, sententia super eodem

dem

dem crimine fuerit promulgata. *c. cum secundum eod. in 6. & d. c. vergentis. 10. hic. c. excommunicatus. §. damnati. eod.*

Prædictas pœnas, ut & quod iudici seculari, animadversione debitâ puniendi, alioqui relinquuntur, effugiunt, continuo post erroris deprehensionem, ad fidei Catholicæ unitatem recurrendo, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publicè abjurando, satisfactionemque congruam exhibendo; *c. ad Apostolicum. hic. c. super eo. eod. in 6. c. statutum. 15. §. fin. hic. c. ad abolendam. 9. eod. Qui enim parati sunt erroris correctionem accipere, non sunt hæretici. c. 19. dixit Apostolus. 24. qu. 5.*

Suspecti tantum de hæresi eisdem pœnis subjacent, nisi & hi ad arbitrium Episcopi, juxta considerationem suspicionis, qualitatisque personæ, propriam innocentiam congruâ purgatione monstraverint. *d. c. ad abolendam. §. qui verò inventi.*

Qui post erroris abjuramentum, & postquam proprii Episcopi examinatione se purgaverint, in abjuratam hæresin recidisse deprehenduntur; seculari iudicio, ut & Hæretici pertinaces, sine ulla penitus audientia sunt relinquendi. *d. c. ad abolendam. §. illos quoque. & ibi Gloss. ad verb. audientia. hic. c. accusatus. 8. eod. in 6. d. c. ad Apostolicam.*

In hæresin recidisse, id est relapsi censentur, tripliciter. *Primò* ex fictione juris, illi, qui de hæresi vehementer suspecti, non convicti, hæresin abjurarunt; non qui levi suspicionem in crimen inciderunt; qui quidem gravius, sed non pœnâ relapsorum puniendi: *c. accusatus. 8. in princ. & §. si autem. 1. hic. in 6. Secundò*; qui culpabiles in uno articulo fidei inventi, vel in uno Ecclesiæ Sacramento, vel secta, in alterius articuli, Sacramenti, vel sectæ hæresin inciderunt. *d. c. accusatus. 8. §. cum verò. Tertio*, qui post absolutionem vel abjuramentum, hæreticos visitat, sibi associat, favet. *d. c. accusatus. 8. §. ille quoque.*

Hæretici pertinaces, & relapsi, quibus jura indulgent, ne Laicorum manibus relinqui possint, in carcerem

perpetuum ablegantur, vel muro, pœnitentiam erroris acturi, includuntur. *c. excommunicamus. 2. §. fin. ubi Gloss. & Abb. hic.*

Quæ pœna hodie, arbitrio Judicentis, si ei visum fuerit, in aliam mitiorem mutari potest. *c. ut commissi. hic. in 6. d. c. excommunicamus. §. 2. ubi Abb.*

De Schismaticis.

T I T. VIII.

Sequitur de Schismaticis; quia omnis hæreticus est Schismaticus: sed non omnis Schismaticus hæreticus. *c. inter hæresim. 24. qu. 3.*

Schismatici (à schismate, id est, scissura, dicti. *c. 34. schisma. 24. qu. 1.*) sunt qui se ab universali Ecclesia per inobedientiam dividerunt. *d. c. 14. schisma. d. c. inter hæresim.*

Dico *ab universali Ecclesia*. Nam, qui à dogmate, contrarium Ecclesiæ tenendo recedunt, hæretici sunt; schismatici autem tantum illi, qui à Prælato universali & ejus Ecclesia Catholica recedunt; *d. c. inter hæresim.* Ecclesiam Dei & corpus ejus lacerantes. *ut dicitur in c. de Liguribus. 23. qu. 5. c. advocavit. c. ubi. 24. qu. 1.*

Unde hi sine justitia, caritate & mercede sunt; *c. ubi sana fides. 24. qu. 1.* Spiritum Sanctum, *c. loquuntur. 24. qu. 1.* & omnem potestatem in rebus Ecclesiasticis amittunt; quia foris sunt extra Ecclesiam. *c. 31. didicimus. 24. qu. 1. c. 1. hic. c. alienationes. 12. qu. 2.*

Proinde ordinationes, beneficiorum collationes, rerum Ecclesiasticarum alienationes, per illos factæ, sunt irritæ; *c. 1. hic. c. ordinationes. 9. qu. 1.* ab iis ordinati ab officio repelluntur; nisi cum iis dispensaverit is, qui dispensandi potestatem habet. *c. 2. hic.*

Eam habet tantum summus Pontifex, si scienter à schismatico sunt ordinati: si ignoranter; quilibet discretus Prælatus. *c. 1. & 2. de ordin. ab Episc. qui res ign. Episc. d. c. ordinationes. 9. qu. 1. fac. c. 1. si quis à simoniacis. 1. qu. 1.*
Præ-

Præterea schismatici excommunicantur & damnantur; *c. de Liguribus. 23. qu. 5.* gradu & dignitate Ecclesiasticâ, si habent, dejiciuntur; *c. 40. subdiaconus quondam. & c. qui contra. 24. qu. 1.* si sunt Laïci, & nobiles, aut Principes, nobilitate privantur, Principibus secularibus, corporaliter puniendi, traduntur. *d. c. qui contra. & d. c. de Liguribus. & c. denique. 7. qu. 1. c. non vos. 2. qu. 1.*

Quibus pœnis, & schismaticorum defensores & fautores puniuntur. *c. didicimus. 24. qu. 1.*

De Apostatis.

TIT. IX.

Apostata sunt, qui à statu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam se tenere professi sunt, temerariè recedunt.

Apostasiæ enim tres sunt species; *perfidia, inobedientia, irregularitatis. c. 1. ubi Gloss. hic.*

Perfidia Apostasia est; cum qui Christianam religionem ejusque verum cultum deserunt, *c. non potest. 2. qu. 7.* & ad Judaicos aliosve detestabiles ritus deflectunt.

Hi eisdem pœnis, quibus hæretici, plectuntur. *c. 1. hic. d. c. non potest. c. infames. 6. qu. 1. c. celebritatem. dist. 4.*

Apostasia inobedientia est; cum qui præcepta superioris transgrediuntur; vel sacris statutis & canonibus non obediunt; *c. alieni. 3. qu. 4. c. si quis. de major. & obed. quibus tamen obediendum credunt. c. nulli. dist. 10.*

Hi fiunt infames, accusare, vel testimonium dicere prohibentur, excommunicantur, deponuntur, & quandoque degradati Judici seculari traduntur. *c. si quis à suo. 3. qu. 4. c. si autem vobis. 10. q. 3.*

Irregularitatis Apostasia est; cum qui ab ordine assumptæ religionis recedunt. *c. fin. hic. c. ex parte. de temp. ord. c. fin. dist. 50. c. quantum. dist. 47. c. beatus. 3. qu. 4.*

Hi, apostasiâ durante, ipso jure fiunt infames; ab accusatione & testimonio repelluntur; *c. alieni. 2. qu. 7. c. beatus. 3. qu. 4.* à dignitatibus removentur; *c. legi. 16. qu. 1.*

si admoniti, se non corrigunt, deponuntur; privilegiis Clericis concessis privantur; *c. sine ornatu. 22. qu. 4. c. sin autem. 11. qu. 3. c. 1. hic.* scdo carceri, donec, suos pertæsi errores, ad saniores mores, à quibus tam obstinatis animis declinarunt, revertantur, includuntur. *Abb. in d. c. 1. c. pen. hic.*

De Anabaptistis.

T I T. X.

Anabaptistæ sunt, qui sacrum baptismum iterant. *Clem. 1. §. ult. de sum. Trinit.*

Hi, si Clerici, deponuntur: *c. eos quos. dist. 4.* si Laici, excommunicantur, nec ad ordines admittuntur. *c. qui aliquo. dist. 51. c. qui in qualibet. 1. qu. 7. c. 2. de apost.*

Rebaptizati, ignoranter; ad ordines, nisi maximâ necessitate urgente, admitti non possunt: scienter; per septem annos pœnitere debent: per tres, qui pro munditia se rebaptizari petiverunt: *c. qui bis. 17. de consecr. dist. 4.* Episcopis, Presbyteris, Diaconis sponte vel coactè rebaptizatis, perpetua pœnitentia imponitur. *c. eos quos Episcopos. 18. ead. dist. 4.*

De Parricidio.

T I T. XI.

Sequitur de homicidio. quod est vel *parricidium*; de quo hoc titulo: vel *homicidium*; de quo titulo proximum sequente.

Parricidium est, quando occiduntur parentes vel filii, vel aliæ personæ sanguine conjunctæ.

Illud committentes, parricidæ dicuntur: Qui tamen propriè sunt illi qui parentes aut liberos occiderunt: de quibus, & eorum pœna legibus statuta, vide Aphorismos nostros in Digesto. Nos tantum hic tractamus de his, qui liberos occiderunt, & eorum pœna, hoc jure statuta.

Qui

Qui scienter liberos interfecerunt, gravius quam homicidæ puniri debent. *c. cum juramento. de homicid. c. aut facta. de pœnit. dist. 1.*

Mulier partum animatum, medicamentis, vel aliter abigens sponte, vel abortum ita faciens, capitali supplicio plectenda est. *c. aliquando. c. Moses. c. semina. 32. qu. 2.*

Mitius cum ea agitur, quæ per iracundiam, quod maritus illi exprobrare solitus, filium suum non esse, eundem filium occidit. Nam, si maritus mortuus: pœnitentiæ agendæ causâ ad monasterium transire debet; *c. 1. de his qui fil. occid. & ibi perpetuò manere; nec alii nubere, nisi de incontinentia timeatur. c. veniens. eod.* Si maritus unâ cum aliis liberis adhuc superstes; uxor, injunctâ sceleris sui pœnâ, ob liberorum salutem, marito non adimitur: si adempta, restituitur. *c. intelleximus. eod.*

Si infans in lecto parentum suffocatus inveniatur, & quis ex conjugibus eum oppresserit ignoretur, uterque mortis eventu considerato, tribus annis pœnitere debet, & horum unum in pane & aqua peragere, *c. fin. eod.* si quidem culpa vel negligentia eorum præcessit; si non, nec sunt puniendi. *Gloss. in d. c. fin.*

De infantibus & languidis expositis.

TIT. XII.

Filium necare etiam videtur is, qui infantem, aut languidum exponit, vel ab alio exponi patitur, siue expositionem ab alio factam ratam habet, qui ei alimenta denegat. *c. un hic.*

Sic expositus à potestate patria liberatur, *d. c. un. nec patri repetitio: l. 1. C. eod.* nec ei qui eum suscepit, aluit, aliquod jus in ejus persona competit. *d. c. un. l. sancimus. C. eod.*

Servi vel liberti sic à dominis expositi libertatem & ingenuitatem nanciscuntur. *d. l. un.*

De homicidiis.

TIT. XIII.

Simplex Homicidium, est violenta vitæ hominis ademptio, *c. homicidium. 28. de poenit. dist. 1. can. displicet. 23. qu. 4. c. si non licet. 23. qu. 5.*

Hominis puta cujuscunque ætatis, conditionis. Nam & qui infantem interemit, aut foetum jam animatum, id est, post quadragesimum à conceptu diem abegit, homicidii reus est. *c. Moyses. 32. qu. 2. c. sicut ex literarum. hic. c. quod verò. 32. qu. 2.*

Homicidii nomine apud Canones etiam venit odium, detractio, mala persuasio, omnisque motus iniquus ad nocendum alteri. *c. homicidiorum. cum 4. seqq. de poenit. dist. 1. c. pasce. dist. 85. c. omnis. c. homicidium. de poenit. dist. 1. c. si aliquis. 5. hic. d. c. sicut ex literarum. c. si quis abscederit. dist. 55.* Verum nos de eo agemus, quod ad hominis internecionem pertinet.

Est illud aut *Voluntarium*, aut *Non voluntarium*, aut *Necessarium*: quia homicidium committitur, vel ex voluntate, vel ex casu, vel ex necessitate. *vid. Gloss. in c. sicut dignum. §. fin. ad verb. consilium. hic. vid. c. sequens.*

Voluntarium est, quod committitur animi proposito, & dolo: & vel apertè, & sine insidiis, *c. 1. hic. vel proditoriè ex insidiis, Assassinium dicitur. c. 1. eod. in 6.*

Non refert, quomodo cædes facta sit, gladio, fuste, veneno, *c. si aliquis. 5. hic.*

Occidisse etiam videtur, qui dolo malo causam mortis præbuit: *c. lator. c. sicut ex literis. 20. hic. c. 2. de cleric. percuss.* qui ad homicidium certum incitavit, *c. sicut dignum. 6. §. qui verò. hic.* qui opem tulit, *d. c. sicut dignum. §. illud autem.* qui sciens sarcinas occidentium custodivit, *d. c. sicut dignum. §. hi quoque.* qui occisum à mandatario verberari mandavit. *c. fin. hic. in 6.*

Pœna

Pœna homicidii voluntarii, pro ratione occidentis & occisi est, hoc jure, diversa.

Nam quia Ecclesia homicidas ad pœnitentiam cogere debet: *c. itaque. 24. qu. 3.* pœnitentialis pœna introducta est in Episcopo homicida, depositio & peregrinatio, & annorum quindecim pœnitentia: in Presbytero, annorum duodecim, cum depositione: Diaconis decem, aliis Clericis & Laïcis septem: quorum tres in pane & aqua, cum prohibitione, ne ad gradum Sacerdotii accedere præsumant. *c. 41. si quis homicidium. dist. 50. c. si quis viduam. c. si voluntate. dist. 50.*

Quod si delicti gravitas tanta sit, ut amplius rei Clerici proterva temeritas ferri non possit, Laïcorum manibus, Sacris antea ablatis, plectendus dimittitur. *c. cum non ab homine. ubi Dd. de judic.*

Qui Presbyterum occidit, duodecim annis debet pœnitere; sine militiæ cingulo, & spe conjugii, usque ad ultimum vitæ tempus manere: *c. qui presbyterum. 24. 17. qu. 4.* pecuniariam mulctam solvere: *c. 26. omnes Presbyteri. 17. qu. 4.* qui Monachum, aut Clericum occidit, arma debet relinquere; in monasterio, cunctis vitæ suæ diebus, servire; publicam pœnitentiam agere, *c. 28. qui occiderit. 17. qu. 4.* mulctam pecuniariam solvere. *c. qui Subdiaconum. 17. qu. 4.*

Quæ est diversa: in occidente Diaconum, CCCC. solidorum; Subdiaconum, CCC; Presbyterum, DC; Episcopum, DCCCC; Monachum, CCCC. *d. c. qui Subdiaconum. 17.*

Qui sibi ipsis violentam mortem quolibet modo inferunt: hi cum Psalmis ad sepulturam deduci non possunt, nec pro illis ulla in oblatione debet fieri commemoratio, *c. placuit. 23. qu. 5.* Nisi ex infania, mentis impotentia, id fecerint. *c. illa. c. si quis insaniens. 15. qu. 1.*

Non voluntarium homicidium est, quod fit casu, atque ita præter facientis opinionem: aut mentis inopiâ, ab infantibus, *Clem. un. hic. c. fin. de delict. puer.* scilicet nondum

nondum doli capacibus; *fac. l. un. C. de fals. mon. l. 7. ff. ad Leg. Corn. de sicar. c. de illis. despons. impub. furiosis, d. Clem. un. c. nec is. II. §. I. c. illud. §. itaque. c. aliquos. c. si quis insaniens. 15. qu. I. dormientibus. d. Clem. un. Ratio ibi. & c. majores. §. verum. de baptismo.*

Hoc, quia fato quodammodo imputatur, extra noxam est. *c. latro. 9. hic. c. si qui arborem. & seq. dist. 50. c. nec is. c. si quis. 15. qu. 5. c. de occidendis. 23. qu. 5. c. clerico. c. cum qui. dist. 50.* Nisi forte culpa casum præcesserit: Hac enim specie homicidium à Iure Civili punitur, sed mitius: *l. 1. §. sed si. l. 4. §. I. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. si putator. 31. ff. ad l. Aquil. & Canonico irregularitate notatur: c. continebatur. 8. c. ad audientiam. 12. hic. c. hi qui. dist. 50.* sicut & si dum rei illicitæ opera dabatur, casus incidere. *d. c. continebatur. 8. c. suscepimus. 10. c. pen. & ult. hic.*

Necessarium homicidium est, quod ob necessariam corporis defensionem, citra vindictæ imaginem, fit.

Hoc non punitur: *Clem. un. hic.* licet Cardinalis sit occisus: *c. felicitis. de pœnis. in 6.* Cum vim vi repellere, omnia jura permittant. *c. significasti. 18. circ. fin. hic. c. 3. §. si verò. de sent. excom.*

Qui socio opem tulit, quem alius occidere volebat, & aggressorem occidit, excusandus videtur; alioquin enim & ipse esset reus mortis ejus si omisisset defensionem, & si, cum posset defendere, non fecisset. *c. non in. 23. qu. 3. c. sicut dignum. §. & illi etiam. hic. c. I. & can. error. dist. 13.*

De Torneamentis.

TIT. XIV.

Non solum homicidium jure prohibetur, sed etiam ea per quæ ad homicidia perveniri solet, ut sunt, *torneamenta, duella, ars sagittariorum.*

Torneamenta sunt nundinæ vel feriæ, in quibus milites

ex

ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ, temere congregari. *c. felicis. 1. hic.*

Quæ hoc Iure, non Civili, *l. solent. l. in quibus. ff. de aleator.* sunt prohibita: adeò ut, si quis forte in iis sit interfectus, non tantum occidens pœnâ homicidii voluntarii puniatur; sed & occisus. licet enim vulnerato concedatur pœnitentia, tamen, si moriatur, Ecclesiasticâ sepulturâ carebit: nisi casu sit occisus, cum non ludendi causâ ad torneamenta venerit. *c. 1. & c. hic.*

De Duellis.

TIT. XV.

Duellum, est singulare certamen. Græco vocabulo *monomachia* vocatur: *c. monomachiam. 2. qu. 4. c. 1. & 2. hic.* ad veritatem occultam eruendam olim adhiberi solitum.

Hoc, Jure Canonico, prohibetur: *d. c. monomachiam. & c. 1. 2. de purg. vul.* quia multi per pugnam sine justa causa, causam suam perdiderunt: & quia Deus, quod fieri non debet, *c. quare. 22. qu. 2.* hâc pugnam tentatur. *c. Menam. 2. qu. 5.*

Clericus hoc per se, vel per alium, sponte offerens, vel oblatum, sponte, vel iudice præcipiente, non invitus, suscipiens, punitur. *c. itane. 32. qu. 5. c. ita faciat. 22. qu. 2.* Excusatur, si invitus, cum aliàs forsan evadere, vel res suas salvare non possit, suscipiat. *c. interfecisti. de homicid. Innoc. in c. porro. si Clericus. 1. hic.*

Pœna Clerici duellum sponte offerentis, vel oblatum susipientis, irregularitas est, & depositio; nisi, morte vel membri mutilatione non secutâ, cum eo misericorditer dispensetur. *d. c. 1. & 2. hic.*

De Sagittariis.

T I T. XVI.

Sagittariorum & ballistariorum arte adversus Christianos, sub pœna anathematis, uti non licet; *c. un. hic.* puta in bello injusto, *arg. c. sicut si constiterit. 3. de jurejur.* omnino in justo. *c. Dominus. 23. qu. 2.*

De Adulteriis.

T I T. XVII.

Adulterium generaliter dicitur, omnis conjunctio, quæ potestatem aut naturam legitimi conjugii non habet: *c. nemo blandiatur. 4. nec hoc. 32. qu. 3. c. idololatriæ. 28. qu. 1.* propriè tamen diversæ sunt fornicationis seu illicitæ conjunctionis species, *Adulterium, Stuprum, Incestus, Raptus, Fornicatio simplex, Luxuria contra naturam.*

Adulterium, est violatio alterius tori. Commixtio cum conjugato vel conjugata. *c. adulterium. 36. qu. 1.* Unde adulterium dicitur, quasi ad alterius torum accessio. *c. cum lex. §. adulterium. 36. qu. 1.*

Committitur; hoc jure (non Civili, *l. 1. C. hic.*), etiam in solutam mulierem, à conjugato. *c. 19. Et c. fin. 31. qu. 5.* cum eadem in marito, quæ in uxore, castimonia requiratur. *c. nemo blandiatur. 32. qu. 4. c. apud nos. 32. qu. 5.*

Sed hoc ita, si præter actum tori, sive sui, sive alieni, violandi, & consensus & scientia alieni tori adfuerit. Non enim hoc crimen sine dolo malo committitur; nec etiam è voluntate, sed ab actu intelligitur. *l. pen. l. miles. l. 23. l. 25. ff. hic.*

Unde ea quæ nupsit cum eo quem ignorabat habere uxorem, adultera quoad primum non est; nisi postquam id ipsum sciverit, cum eo concumbat: *c. si virgo nupsit. 32. qu. 2.*

qu. 2. Uxor, ab alio quam à marito, violenter oppressa, vel ignoranter cognita, ut adultera accusari nequit. *c. in lectum.*
34. qu. 2. l. vim passã. ff. hic.

Possunt mariti, etiam ex suspitione, uxores adulterii accusare: *c. maritis. 4. hic.* & uxores maritos: *c. 1. ut lit. non cont.* non tamen ex adulterii suspitione conjuges se separare, aut se dimittere, nisi prius causã cognitã & probatã. *c. tua. de probat. c. 1. ut lit. non cont. c. multorum. 35. qu. 6. priusquam. 27. qu. 2.*

Accusatio adulterii vel *criminaliter* instituitur coram Iudice seculari; vel *civiliter*, coram Iudice Ecclesiastico. *c. tua fraternitatis. 5. de procuration.*

Criminaliter, quando agitur ad pœnam; quæ in adultero, est gladii: *l. quamvis. 10. in fin. C. hic.* in adultera, quod verberibus affecta, in monasterium detruditur. *Novel. 134. c. 10.* quod & à Iure Canonico videtur receptum. *in c. gaudemus. de divort. in c. gaudemus. de convers. conjug.*

Civiliter, cum conjux ad separationem tori agit.

Cujus cognitio ad Ecclesiasticum Iudicem solum spectat. *c. tua fraternitatis. de procur. c. 1. de offic. ordin. c. at si Clerici. §. de adulteriis. de judic. Gloss. in c. cum sit. & c. conquestus. de foro compet.* Qui & excommunicatione in adulteros uti potest. *ut in c. intelleximus. c. 2. hic.*

Separatio illa non est vinculi matrimonii, *c. quos Deus. 33. qu. 2. c. de infidelibus. de consang. & affin. c. inter corporalia. de translat. Episc.* sed tantum cohabitationis & tori divisio. *c. pen. & fin. hic.*

Eã concessã, dos & donatio propter nuptias conjugi innocenti applicantur. *c. plerumque. 4. de don. inter vir. & uxor. c. 1. ut lite non cont. c. si quis uxorem. 32. qu. 1. l. 8. §. fin. l. fin. C. de repud. Novel. 117. §. quia verò. Novel. 134. §. antep.*

Non conceditur; si eam petens ipse quoque adulterium commisit; *c. pen. & fin. hic.* si ejus committendi accusator auctor fuit; aut factum probavit. *c. discre-*

discretionem. 6. de eo qui cogn. cons. l. mulier. 49. ff. sol. matr.

Non licet hoc Iure (ut Civili; *l. Gracchus. ff. hic.*) marito, uxorem adulteram in adulterio deprehensam, vel ejus adulterum, occidere, *c. si quod verius. c. admonere. c. inter hac sanctitas vestra. 33. qu. 2.*

Clericus, si adulterasse aut confessus aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessâ, toto vitæ suæ tempore in monasterium detruditur: *c. 10. si quis Clericus, dist. 81.* de adulterio tantum infamatus, ad confessionem adulteræ debet se cum vicinis quinque Presbyteris jurantibus purgare; si se purgare non potest, ab officio suspendi. *c. significasti. 5. hic. ut in c. quam sit grave. 9. de excess. Pralat.*

Potest tamen Episcopus, post peractam pœnitentiam cum Clericis, in adulteriis, & aliis criminibus inferioribus dispensare: neque debet omnem depositum post pœnitentiam seculari Curia tradere. *c. at si Clerici. 4. §. de adulteriis. de judic.*

De Stupro.

TIT. XVIII.

Suprum, est illicitus coitus cum virgine, aut vidua honeste vivente. proprie & stricte accipitur pro virginis defloratione. *c. lex illa. §. stuprum. 36. qu. 1.*

Cum vidua honeste vivente si commissum, stuprator pœnitentiæ subditus, pecuniariâ pœnâ coërcetur: si cum virgine; debet & eam pro ejus conditione dotare, &, nisi pater puellæ renuat, quo casu sufficit dotare, eam in uxorem ducere: si, patre concedente, eam nolit ducere, corporaliter castigatus & excommunicatus, in monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi. *c. 1. & 2. de adulter.*

Clericus qui virginem defloravit, cum eam ducere nequeat; si in sacris est ordinibus, debet in foro contentioso deponi; *Panorm. in c. at si Clerici. de judic. per c. si quis Cleri-*

Clericus. dist. 8. c. lator. 2. qu. 7. & in carcerem vel arctum monasterium detrudi. Panorm. in c. pen. de adult.

Qui sacris virginibus stuprum intulit; si Clericus, deponitur; si Laicus, excommunicatur. *c. si quis Episcopus. 27. qu. 1. de jure puta Canonico. de Civili, capite plectitur. c. si quis non dicam. 36. qu. 2. l. si quis non dicam. C. de Episc. & Cler.*

Sacerdos qui cum filia spirituali aut pœnitentiali fornicatus fuit, ab officio deponi, & duodecim annis pœnitere debet, posteaque monasterium ingredi: femina si laica, bonis suis pauperibus distributis, itidem monasterium ingredi. *c. 9. si quis Sacerdos. 30. qu. 1. c. omnes quos. 30. qu. 1.*

De Incestu.

TIT. XIX.

Incestus, est consanguinearum vel affinium abusus: *c. lex. §. 1. 36. qu. 1.* non tamen quarumcunque, sed earum, cum quibus nuptiæ sunt interdictæ. *Covar. in 4. libr. Decret. in 2. part. cap. 6. §. 8.*

Ejus, hoc jure, pœna est, quod incestuosus sit infamis, *c. 17. infames. 6. qu. 1.* Sacerdotes vel legitimè conjunctos accusare nequeat, *c. consanguineorum. 4. caus. 3. qu. 4.* fidelium communione, & matrimonio etiam cum alia, ei interdicitur: *c. fin. 35. qu. 8. c. quadam cum fratre. 19. c. si quis viduam. c. qui dormierit. c. 1. & cc. seqq. 32. qu. 7. c. 1. de eo qui cogn. conf. ux.* licet contractum cum alia non solvatur; cum non sit impedimentum dirimens, sed tantum matrimonium impediens, *c. transmissa. 4. de eo qui cogn. conf. ux.*

Liberi ex incestuosis complexibus scienter factis nati, non censentur legitimi, neque parentibus succedunt. *c. un. 35. qu. 7. Nov. 12. cap. 1. Nov. 89. c. fin. ubi alias Inris Civilis pœnas vide.*

Sacerdos incestus accusatus & convictus deponi & beneficiis privari debet. *c. pen. de purg. vulg. Bern. Diaz. in pract. crim. canon. c. 78.*

De Raptu.

T I T. XX.

Raptus est, quando puella violenter de domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur. *c. lex. §. 1. 36. qu. 1.*

Ejus pœna est in raptorem, ejusque comites, præter pœnas legibus Civilibus statutas, *in l. un. C. de raptu. Nov. 123. c. si quis rapuerit. 27. qu. 1.* si laïci sunt, anathema; si Clerici, ordinis & honoris amissio. *c. raptores igitur. 2. c. de puellis. 4. c. si quis virginem. 5. & c. seq. 36. qu. 2.*

Raptus autem propriè, hoc jure, dicitur committi cum femina honestæ famæ, sive sit virgo, sive vidua, *c. raptores. 36. qu. 2.* cum qua de nuptiis antea nihil actum fuerat, abducitur. *d. c. lex.* Unde qui sibi desponsatam, parentibus invitis abducit, raptor hoc jure (omnino Civili; *l. un. C. de raptu.*) non dicitur. *c. cum causam. & fin. de raptor.*

Rapta quoque puella, hoc jure, non Civili; *d. l. un. §. etsi non nupta. c. cum. secundum leges. de heretic. in 6.* legitimè cum raptoe matrimonium contrahet, si prior dissensio in consensum transeat: *c. fin. de raptor.* si modo matrimonium aliunde non habeat impedimentum: ut puta, *ordinis, consanguinitatis, vel alterius generis.* Raptorem enim & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum; vitia autem cum purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

Sed hæc de illis intellige, qui mulierum laïcarum consensum habuerint; nam qui Deo dicatas virgines, vel rapuerint, vel volentes matrimonio sibi sociare tentarint, tanquam sacrilegi, plectuntur, nullâ sacrarum virginum voluntatis habitâ ratione. *can. 2. ubi Gloss. 1. 36. qu. 2.*

De

De fornicatione.

T I T. XXI.

Fornicatio *simplex* (à fornicibus, id est, concameratis cellis, sub quibus Romæ Meretrices omnibus expositæ habitare consueverant, dicta) est omnis coitus illegitimus cum meretricibus & aliis. *c. lex illa, §. fornicatio. 36. qu. 1.*

Meretrix dicitur, quæ multorum libidini patet. *c. 16. vidua est. dist. 36. c. meretrices. 32. qu. 4.* quæ palam quæstum corporis sui facit.

Palàm quæstum dicitur facere non solum quæ in lupanari se prostituit; verum etiam quæ in taberna, caupona, vel quâ aliâ pudori suo non parcit.

Vetatur *simplex fornicatio*; *c. predicandum. 22. qu. 2. c. in eo fornicator. 11. 12. c. meretrices. 11. 32. qu. 4. c. aliter. 30. qu. 5. c. adulteri. 32. qu. 7.* sed ejus pœna, tam quoad pœnitentiæ modum, quàm alia, est arbitraria; *Lancell. in Instit. jur. Canon. tit. de adult. §. fin.* in laïco puta: in Clerico; si post primam, secundam, tertiam admonitionem, cum fœmina, de qua fornicationis criminis est suspectus, inveniatur fabulari, & cum ea conversari, excommunicatur; *c. si quisquam. 2. de cohab. cleric. & mul.* si monitus à focaria non abstineat, ab Ecclesiasticis beneficiis, usque ad satisfactionem, suspenditur; *c. sicut. 4. eod. c. si autem Clerici. 6. eod. c. ut Clericorum. 13. de vita & honest. Cler.* si suspensus eam retineat, perpetuò ab officio removetur. *d. c. si autem Clerici. 6. & can. Maximianus. 6. dist. 81.*

De luxuria contra naturam.

TIT. XXII.

GRadus sunt peccatorum: & adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu; incestum vincit is coitus qui contra naturam fit. *c. adulterii malum. cum trib. seqq. 32. qu. 7.*

Contra naturam fit coitus, cum masculo, cum femina in membro ad hoc non concessio, *c. offerebat. 12. c. usus naturalis. 14. eod. 32. qu. 7. cum brutis. c. 4. mulier. 15. qu. 1. c. hoc ipsum. §. hoc autem. 33. qu. 2.*

Cum brutis commixtio, morte punitur: *d. c. mulier. 15. qu. 1. cum puero, vel muliere contra naturam, hoc Iure in Clerico, dejectione, & in monasterium ad pœnitentiam agendam detrusione; in Laico, excommunicatione, & à coetu fidelium remotione vindicatur. c. clerici. 14. de excess. prelat. c. ut clericorum. 13. de vit. & honest. cleric. c. offerebat. 12. c. usus naturalis. 14. 32. qu. 7.*

De furto.

TIT. XXIII.

Furtum, est contrectatio rei alienæ, vel usus ipsius, invito domino, *c. dudum Ecclesia. 54. de election. c. non furem. 7. qu. 1. fraudulenta, lucri faciendi causâ. §. furtum autem. Inst. de oblig. qua ex delict. nasc.*

Est vel *simplex*, de quo hoc titulo: vel *improbis*, de quo titulo sequente.

Illud vel *manifestum*, vel *non manifestum*. §. *furtorum. Inst. eod.*

Manifestum est, quod nulla tergiversatione celari potest. *c. cum olim. 24. de verb. signif. & ideo nullâ aliâ probatione indiget. c. de manifesta. 2. qu. 1. Non manifestum est, quod celari potest; & probatione indiget.*

Utrumque fit etiam in re modica, *c. fin. 14. qu. 6. modo*

modo ea sit aliena; *l. falsus. 43. §. qui alienum. ff. hic. contrectetur, sive verè, ut rem amovendo, transferendo, l. si quis. §. si quis asinum. ff. hic. l. alienum. C. eod. sive fictè; ut cum falsus procurator, debitum volens exigere, aliis solvendum se præsente delegat: l. falsus. §. sed si is. ff. eod. quis opem & auxilium ad furtum faciendum præstat; l. is qui opem. ff. eod. res furtivas recipit; l. eos. C. eod. animo furandi; c. fur autem. & c. fin. 14. qu. fin. invito domino. d. l. falsus. c. hi qui in furtis. §. furtum. & c. fur autem. 14. qu. 6.*

Quæ si non adsint, furtum in foro contentioso non punitur; omnino in foro pœnitentiæ, & quoad Deum. *c. si propterea. 29. de pœnit. dist. 1.*

Furtum etiam faciunt, qui beneficium Ecclesiasticum sine legitima institutione occupant; *c. non furem. 7. qu. 1. c. tres personas. 23. qu. 4. c. ordinationes. 1. qu. 1. c. relatum. 21. de jure patron. quique beneficia, quæ per adeptionem aliorum vacant, retinent; c. dudum Ecclesia. 54. de election. qui fructus beneficiorum percipiunt, nec curant sibi commissos; c. 12. tres personas. 23. qu. 4. qui furti conscius, quærente possessore, illud non indicat; c. qui cum fure. hic. nisi sit Presbyter, cui fur confessus fuit, qui non cogitur, c. dilectus filius. 13. de excess. Prælat. imò non debet, nec potest impunè, revelare. c. omnis utriusque. de pœnit. & remiss.*

Qui in extrema famis necessitate comestibilia; in extrema nuditate vestimenta surripuit: modo sibi sufficientem non excefferit quantitatem: *c. 2. hic. c. fraternitatis. 12. qu. 2. c. discipulos. de consecrat. dist. 5. c. fin. 25. qu. 1. c. si quis. hic. Archidiacon. ad c. pœnale. 14. qu. 5. furti pœna ordinaria non punitur; sed ei tantum trium hebdomadarum injungitur pœnitentia, d. c. si quis.*

Necessitas enim quodammodò de illicito licitum facit. *c. quod non est licitum. de reg. jur. in 6. c. 2. de observ. jejun. c. quanto. de consuet. c. sicut. de consecr. dist. 5.*

Si furtum nullâ necessitate cogente, solâ fraudulentâ

intentione commissum à Laïco, punitur pœnis civilibus; de quibus vide *Aphorism. nost. in Digesta & Codic. hoc titulo*. si à Clerico: aliter si furtum fuit *manifestum*, aliter si *nec manifestum*.

Si *manifestum*; & accusatus, confessus, vel legitimè convictus, est infamis, *c. infames. 6. qu. 1. c. Euphemium. 7. §. hinc colligitur. 2. qu. 3. c. constituimus. 3. q. 5.* & deponitur, in monasterium conjicitur: si necdum corrigibilis, seculari judici legitimâ pœnâ puniendus traditur. *c. at si clerici. §. 1. c. cum non ab homine. de judic. c. tua. de pœnis. Si nec manifestum*; & fur illud ultro fuit confessus, rem restituere & pœnitentiam agere tenetur: quibus peractis, ad sacros Ordines potest promoveri. *c. ex literis. hic. si de eo damnatus, fit infamis. d. c. infames. 6. qu. 1. d. c. constituimus. 3. qu. 5.*

Pro eis, qui, dum furtum committunt, occisi fuerunt, non est orandum: quanquam si comprehensi aut vulnerati, confessi fuerint, communicatio eis non sit deneganda. *c. 2. hic. c. fures. 13. qu. 2.*

De rapina.

TIT. XXIV.

Furti improbi, quod Doctores qualificatum vocant, species est *Rapina rerum*.

Rapina, est vel *simplex*, de qua hoc titulo; vel *qualificata*, sive *improbior*: ut cum ex incendio rapitur; de qua titulo sequente: vel Ecclesia violatur; de qua titulo proximum sequente.

Rapina simplex, est fraudulosa rei alienæ, mobilis, & corporalis, per vim facta ablatio. *c. lex illa. 36. qu. 1. c. de raptoribus. 36. qu. 1.*

In rebus immobilibus, invasio. §. *quod non solum. Inst. vi bon. rapt.* in beneficiis intrusio, *c. eum qui. de prabend. in 6.* per vim facta, idem est, quod rapina in mobilibus.

Rapinam

Rapinam committentes, five sint Laïci, five Clerici, à Prælato loci, ubi deliquerunt, *c. 1. 3. qu. 6. c. placuit. in 2. 6. qu. 3. c. placuit. fin. c. de foro comp.* hoc jure, excommunicantur, aliisque pœnis coërcentur; nisi ablata restituant, vel de restituendo caveant: *c. super eo. c. excommunicationi. hic.* si nolint, nec pœniteant, Ecclesiastica sepultura ipsis denegatur. *c. 2. de raptor.*

Possunt & flagellis castigari, & ultimo supplicio: sed ab aliis quàm Ecclesiasticis iudicibus damnati. *c. in Archiepiscopatu. eod. l. capitalium. 28. §. famosos. §. grassatores. ff. de pœn. l. per omnes. C. de defens. civit. l. provinciarum. C. de feriis.*

Si in deprædando occiduntur, pro eis non oratur. *c. 2. de furtis.* quia præsumuntur in mortali peccato mortui; pro qualibus non oratur. *c. placuit. 23. qu. 5. c. pro dilectione. 95. de pœnit. dist. 2.*

De incendiariis.

T I T. X X V.

Rapinam etiam intelliguntur committere, qui ex incendio, vel naufragio, res rapiunt. *c. 3. de raptor.*

Qui verò datâ operâ, ex odio, vel vindicta ignem ad conflagranda ædificia apponunt, vel apponi faciunt, incendiarii dicuntur; non quorum negligentia incendii fomitem præbet. *c. pessimam. 23. qu. 8.*

Incendiarii, ut & qui illis consilium, vel auxilium scienter præstiterunt, hoc jure, si Laïci, excommunicantur: nec nisi, prius damno pro ratione facultatum suarum resarcito, jurent, se ulterius ignem non apposituros, absolventur; Episcopus vel Archiepiscopus, qui eo non præstito absolvit, per annum ab Episcopali officio, districtione Canonica, abstinere compellitur: *d. c. pessimam. 23. qu. 8. c. indignè. 12. qu. 5. c. quisquis. 17. qu. 3.* Si Clerici; pro iudicis arbitrio, habitâ damni, loci, & doli, ratione, puniuntur. Cum nulla specialis pœna eis infligenda

genda Canonibus sit statuta. *Diaz. in prax. vers. incendiarii. Quomodo verò jure Civili incendiarii puniantur, vid. Aphorism. nost. in ff. tit. de incend. ruin. nauis.*

De Sacrilegio.

TIT. XXVI.

Sacrilegium est, quotiens quis sacrum violat, aut auferendo sacrum de sacro; vel sacrum de non sacro; vel non sacrum de sacro. *c. si quis contumax. & c. quisquis. 17. qu. 4. Contra l. Divus. ff. ad Leg. Jul. pecul.*

Committitur vel *in rebus*, vel *in personis Ecclesiasticis*.

In rebus; ut Ecclesiam infringendo, vel quippiam circa eam intra triginta passus diripiendo, vel inde auferendo, aut injuriam inferendo, prædia Ecclesiastica invadendo, venando. *c. quisquis. 17. qu. 4. c. prædia. 12. qu. 2. c. definiuit. 17. qu. 4.*

In personis, manus violentas, Clericis, vel aliis personis Ecclesiasticis injiciendo, pulsando, vinciendo, verberando, aliâque injuriâ afficiendo. *c. si quis suadente Diabolo. c. quisquis. & c. si quis. 17. qu. 4.*

In personis, aut earum vestibus, *Gloss. in d. c. si quis suadente. Innoc. in c. nuper. de sent. excomm.* commissum, excommunicatione majore punitur; à qua non nisi à Pontifice absolutio concedi potest. *d. c. si quis suadente.*

In rebus commissum, variè, prò modo sceleris admissi facinorisve perpetrati, nisi satisfactum sit, aut de satisfaciendo plena securitas data, punitur: nunc enim sacrilego beneficium pœnitentiæ penitus denegatur, nunc anathemate vincitur, *Dd. in c. conquestus. de foro comp. & c. conquesti. de sent. excom. c. si quis contumax. 17. qu. 4.* nunc perpetua damnatus infamia carceri traditur, aut exilio perpetuæ deportationis & depositionis animadversione coercetur, *c. attendendum. 17. qu. 4. c. prædia. & c. quicumque. 12. qu. 2.* aliquando & pecuniaria pœna mulctatur. *d. c. si quis contumax.*

Hæc

Hæc eis persolvenda est, ad quos sacrilegii querimonia pertinet. *d. c. quisquis. 17. qu. 4.*

Possunt Sacrilegi, sub utroque Judice, tam Ecclesiastico, quàm Seculari, conveniri & damnari. *e. cum sit generale. c. 8. de foro comp. l. si quis in hoc. C. de Episc.*

Eisdem pœnis, quibus sacrilegi, & puniuntur participes & administri eorum. *c. 2. de raptor.*

Presbyteri, ipsis, sive in vita, sive in morte, pœnitentiam dantes, vel sepulturæ eorum intervenientes, vel ab eis eleemosynas recipientes, deponuntur, & Ecclesiastico beneficio irrecuperabiliter privantur. *d. c. 2. circa fin.*

De Usuris.

TIT. XXVII.

Sequitur *de Usuris*: quia cum Rapina & Furto tantam affinitatem habet Usura; ut qui usuram accipit, rapinam facere dicatur. *c. si quis usuram. 14. qu. 4.*

Quare & peccat qui usuras accipit, non qui solvit: *c. debitores. de jurejur.* qui usuras accipere non esse peccatum pertinaciter asserit, ut hæreticus punitur. *Clem. un. §. fin. de hæret.*

Usura, hîc est, quicquid ultra sortem principalem, seu debitum, creditor, ratione mutui ex pacto, vel præcedente sua intentione, accipit. *c. fin. hic. c. putent. & fere tota 14. qu. 5.*

Si quid ergò sorti & lucro creditoris accedat, præter ejus fœnerandi intentionem, usura non erit. *Panorm. ad rubric. hic. Gloss. in c. consuluit. 10. ad verb. sperantes. hic.*

Est usura vel *Conventionalis*, de qua expressè convenit; vel *Mentalis*, cum aliquis eâ mente contrahit, ut aliquid ultra sortem recipiat, omni conventionem cessante. *c. consuluit. 10. hic. c. usura est. 14. qu. 3.*

Utraque prohibita est, *d. c. Consuluit. ubi Gloss. & Panorm. ad c. cum in tua. hic.* in mutuo vero, vel præsumto; *Canon. per c. consuluit. & c. navigante. ubi Panorm. num. 6. & alii. hic. Gloss. ad c. 1. ad verb. plus. 14. qu. 3. Domin.*

Soto. de Instit. lib. 6. qu. 1. art. 1. & 2. cum quia mutui contractus natura sit, ut nihil ultra, quàm datum sit, promitti aut exigi possit; *l. rogasti. §. si tibi dedero. ff. de reb. cred. l. si tibi decem. ff. de pact. cum simil.* tum quia mutuum ex officio amici, quod gratuitum esse debet, *l. 1. ff. mand. procedit.*

Mutuum præsumtum est, cum in fraudem prohibitarum usurarum, de his aliter contrahitur; ut cum, pro solutionis dilatione, aut ob solutionem expectatam, in aliis contractibus hæ exiguntur; *ut in c. consuluit. 10. & in c. civitate. & c. fin. hic.* cum civitas, vel iudex, vel potestas statuit, ut usuras in foro Ecclesiastico repetentes, cogantur usurario tantam pecuniam tanto tempore mutuare, quanto pecuniam usurarii tenuerunt: *ut not. Gloss. ad Clem. 1. ad verb. onera. hic.* cum convenit, ut ex pignore fructus creditores percipiant: *c. 1. & 2. c. conquestus. hic. c. ad nostram 7. de jurejur. c. contra. 6. de pignor. cum res vendita, cum eo pacto, ut post certum tempus restituatur, & simul quid ultra sortem solvatur. c. illo vos. 4. eod. c. ad nostram. de emtion.*

Ex alio contractu, alia ratione, vel propter id quod petentis interest, si usuræ generali nomine petantur, sunt permissæ. *ut in c. per tuas. de arbitr. c. 1. de plus petition. c. sacro. de sent. excom.* quia & jure Divino id quod interest, licitè petitur, *Exod. c. 21. & 22. & c. 1. & 2. de injur.*

Quâ ratione, jus hoc, certis casibus, extra mutuum, quid ultra sortem, absque usurarum vitio, recipere permittit: ut cum fidejussor, debitoris debito soluto, damnum repetit: *c. pervenit. de fidejuss. gener. uxorem nutriens, fructus fundi pro dote promissa oppignorati, donec ea solvatur, percipit: c. salubriter. 16. hic.* cum qui decem dat solidos, paciscitur ut alio tempore totidem grani, vel vini, vel olei mensuræ reddantur: *c. in civitate. §. 6. & c. fin. hic.* cum Clericus beneficium Ecclesiasticum aliter redimere non valens, prætextu pignoris de manu Laici percipit: *c. 1. vers. nisi forte. hic.* cum Dominus à vasallo remissis ei servitiis,
pignori

pignori feudum accipit: *c. 1. de feud. c. conquestus. 8. in fin. hic.* cum sensus annuus in prædio, etiam cum pacto de retrovendendo, *emtus. c. 1. & 2. de emt. vend. Ext. com.*

Usuras exigere interdicitur omnibus, Clericis, *c. si quis oblitus. 14. qu. 4. c. quoniam. 8. 14. qu. 4. c. quoniam multi. dist. 47. c. 1. hic.* Laicis, *c. 2. hic. cum simul.* Iudæis, *c. post miserabilem. 12. eod.* Capitulis, seu Collegiis, *c. conquestus. 8. eod.* Civitatibus; *Clem. 1. eod.* etiam prætextu redimendorum captivorum, *c. super eo. eod.* Ratio in *c. sic non sunt. 3. qu. 4. c. magnopere. Ne Cler. vel Mon. secul. neque se immisc.* aut utilitatis Clericorum ad illorum stipendia: *arg. d. c. super eo. & ab omnibus accipere. c. fin. 14. qu. 4. junct. Matthæi cap. 3.*

Unde debitores ad usuras solvendas cogi non debent: *c. debitores. 6. de jurejur.* nisi soluturos juraverint. Omne enim juramentum, quod ex parte jurantis sine detrimento salutis æternæ impleri potest, est servandum; *c. quamvis. de pact. in 6.* jam usuras solvere peccatum non est; est eas accipere, *ut not. Gloss. fin. ad c. debitores.*

Hinc, quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *c. cum tu. hic. c. peccatum. de reg. jur. in 6. c. 16. qu. 6.* creditores, aut illorum heredes, etiam extranei, *c. tua nos. hic. Gloss. ad c. Michaël. 7. ad verbum, pater. eod. & Gloss. ad c. 2. ad verb. facultatis. eod. in 6.* usuras acceptas, aut pretia rerum ex eis emtarum, quæ vendendæ, *c. Ecclesia, ut lite pendent. c. cum tu. hic.* nulla obstante appellatione, *c. quam perniciosum. 17. eod.* restituere, *d. c. debitores.* juramentum super usuris solvendis præstitutum relaxare, *c. 1. c. ad nostram. 20. de jurejur. c. dudum. 13. hic.* Ecclesiasticâ districtione, compelluntur.

Restituere debent, non tantum his à quibus usuras acceperunt; sed & eorum heredibus: *c. sicut dignum. 6. §. eos. de homicid. c. eam te. de jurejur.* his non existentibus, pauperibus, *c. cum tu. hic.* si quidem in bonis habeant unde restituere possint. *c. Odoardus. de solution.*

Restituisse etiam videntur, si ab eo, qui usuras petere

tere potest, ex sint remissæ. *Hostiens. hic. §. fin. vers. quid si. Dyn. in Regul. peccatum. 4. num. 8. de regul. jur. in 6. Ioann. Andr. in addit. ad Specul. tit. de usur.*

Si non restituant, ad communionem Altaris non admittuntur: si in hoc peccato decesserint, Christianâ sepulturâ privantur; Eorum oblationes ab Ecclesia non accipiuntur; Testamenta eorum non valent. *c. qua in omnibus. 3. hic. c. 2. eod. in 6.*

Quibus subjacent; licet de usuris, quas receperunt, satisfieri, expressâ quantitate, vel indistincte in ultima voluntate mandaverint, donec vel de iis plene sit satisfactum illis, quibus restitutio facienda; vel, eis absentibus, Loci Ordinario, aut ejus vices gerenti; sive Rectori Parochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis, de ipsa Parochia, aut servo publico, de ipsius Ordinarii mandato, idoneè de restitutione facienda sit cautum. *c. quanquam. eod. in 6. ubi Gloss.*

Qui restitutione, aut de ea cautione non facta, ab usurario impœnitente oblationem accepit; aut eum ad confessionem admisit, absolvit; Ecclesiasticæ sepulturæ eum tradidit, *c. 3. hic. c. 2. eod. in 6.* ejus testamento interfuit, *d. c. 2.* ad restitutionem accepti compellitur, & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab officii sui executione suspenditur. *d. c. 2.*

Quæ poenæ canonibus imponuntur; præterea aliæ à Iudicibus, usurariis id quod usuræ loco exegerunt, restituere recusantibus, infliguntur: Nam Laicos usque ad dignam satisfactionem vinculo excommunicationis adstringunt; *c. præterea. 7. hic.* Clericos ab officio suspendunt, & in delicto perseverantes deponunt atque à Clero dejiciunt, *c. 1. & 2. dist. 47. c. canonum. 3. c. si quis oblitus. 4. c. quoniam. 14. qu. 4.* & præterea usurarios rationes suas adversariis edere cogunt. *Clem. un. §. ceterum. hic.*

Qui usurarios manifestos alienigenas in terris suis habitare permittunt, si sunt personæ Ecclesiasticæ, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis: si minores personæ

personæ singulares, excommunicationis: si Collegium aut alia universitas, interdicti sententiam incurrunt. *c. usurarum. eod. in 6. c. seditarios. 8. dist. 46.*

Qui pro usurariis manifestis statuta ordinarunt, fecerunt, scripserunt, dictarunt, vel secundum ea judicarunt, Christianorum consortio interdicuntur. *Clem. 1. §. ceterum. & §. sane. hic.*

Manifesti usurarii sunt, confessi, condemnati, notorii; puta qui habent & publice exercent mensam usurarum. *Gloss. in c. 1. ad verb. manifestos. hic.*

Potest de hoc crimine in utroque foro Ecclesiastico & seculari cognosci. *c. 1. de jurejur. c. debitores. 6. c. ad nostram. 20. eod. c. 2. c. tuas dudum. 12. hic. fac. c. quarenti. 20. de verb. sign. junct. c. corripiantur. 24. qu. 3. c. cum ab Ecclesiarum. de off. ordin. c. novit. de judic. c. post miserabilem. 12. hic. c. in quanto. 18. eod. vide P. Gregor. Tholos. tract. de usur. lib. 3. cap. 10.*

In utroque proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu judicii, *Clem. dispendiosam. de judic.*

De crimine falsi.

TIT. XXVIII.

Falsum, & falsitas, nihil aliud est; quam veritatis immutatio: *Novel. 73. §. 1.* quæ quando cum dolo fit, crimen habet. *c. homines. §. quia ergo. c. is autem. §. nemo. 22. qu. 2. c. 1. §. uterque. hic.*

Committitur vel circa homines, vel circa res.

Circa hominem falsum committit; qui falsum partum supponit; *l. qui falsam. 19. §. 1. ff. ad leg. Corn. de fals. l. cum suppositi. C. eod.* nomen falsum in præjudicium alterius usurpat: *l. falsi nominis. 13. ff. eod. tot. tit. C. de mutat. nom.* testimonium falsum dicit; aut verum suppressit: *e. 1. hic.* perjurium committit; *per tot. 12. qu. 2. & 12. qu. 4.* judicem corrumpit: *l. 1. l. 21. ff. eod.* nomine & in præjudicium alterius, sine ejus mandato, rescriptum à Pontifice

fice impetrat: *c. nonnulli. de rescript.* literas alterius sigillatas, & potissimum Principum rescripta obfignata, aperit: *ut in c. cum olim. in 2. 33. de offic. deleg.* de manu aliqua Bullatoris vel Papæ Bullas accipit: *c. dura. 4. c. licet. 10. §. eos etiam hic.* sigillum nomine Capituli furtivè surripit. *c. tam ex literis. 20. de testib.*

Circa res falsum committitur, circa monetam, scripturam, mensuram, & alias res.

Circa monetam, si nummos quis radat, tingat, aut quippiam prohibitum eis misceat, vel legitimo pondere eos defraudet: *l. quicumque. 8. & l. seq. & l. qui falsam. 19. ff. ad leg. Corn. de fals. c. quanto. 17. de jurejur. hic.* si is privilegium non habet, suo vel alieno nomine fabricet, vel veros imitetur. *c. un. Ext. hic.*

Circa scripturam; si rasis literis, aliud in locum ejus quod ante scriptum erat, scribat; *ut in c. olim. 25. de rescript. c. licet. §. sexta. hic.* puta in loco suspecto: *c. ex consequentia. 9. eod. c. cum olim. de privileg. c. inter dilectos. de fide instr. c. cum venerabilis. de relig. domib.* chirographum alienum imitetur: *l. quid sit falsum. 23. ff. ad leg. Corn. de fals.* vel aliis modis scripturæ formam vel stylum immutet: *vid. c. licet ad regimen. 5. & c. quam gravi. 6. hic.* absentium nomina, tanquam præsentium, scribat: *c. quanto. §. de his qua fiunt à major. part. Capit. c. tuis literis. 33. de testib.* testamentum, aut aliud instrumentum falsum scribat, signet, recitet, celet, subjiciat: *§. item lex Cornelia. Inst. de publ. jud. l. 1. §. qui in rationibus. l. 2. & l. quid sit falsum. 23. ff. ad leg. Corn. de fals.* in testamento quid sibi adscribat: *l. si quis legatum. 6. ff. eod. falsis literis qui scienter utatur. c. ad falsariorum. c. accedens. hic.*

Circa mensuram; si aliâ, quam publice probatâ mensurâ, pondere, bilance, utitur, *l. pen. ff. eod. c. ut mensura. de emt. vend.*

Circa alias res falsum committit; qui falsos Canones, Leges allegat; *l. fin. ff. eod. qui instrumenta supprimit, adversariis tradit, c. si quis. de Clericis. 1. & c. si quis. de Clericis. 2. 12.*

cis. 2. 12. qu. 2. qui Alchymiam exercet vel procurat, *c. un. Ext. hic.* qui falsò in scriptos impiorum libros tanquam sacros publicat. *Apostol. Canon. 59.*

Quæ omnia ita demum in crimen incidunt, si dolo fiant; non si per errorem & ignorantiam, *c. accedens. 8. hic.*

Falsum tam de jure Civili, quam Canonico, pro circumstantiis delicti variè punitur: quomodo jure Civili, nostrum non est hic examinare; cum abundè de eo in Aphorismis nostris ad Digesta & in Enarratione Codicis tractaverimus; sed tantum quomodo de Jure Canonico.

Eo jure falsum circa hominem committens, & quidem circa testimonium; Ecclesiasticâ communione, nisi crimina admissa conveniente satisfactione diluerit, submovetur, *c. 20. itaque censuimus. 24. qu. 3.* à testimonio removetur, *c. 1. si quis convictus. 22. qu. 5.* infamiâ punitur, *d. c. si quis convictus. c. omnis. 5. qu. 6.* si est Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, officio & honore deponitur; in carcerem, quamdiu vixerit, detruditur, Laicam tantum communionem accipere permittitur. *c. si quis Episcopus. 7. dist. 50.*

Perjurium committens; infamiâ juris & facti notatur, *c. infames. 6. qu. 1.* dignitate privatur, *c. infamibus. de reg. jur. in 6.* à testimonio, *c. parvuli. 22. qu. 5.* agendo, *d. c. parvuli.* repellitur, beneficio collato removetur. *c. querelam. de jurejur. Hostiens. in c. cum inter. de excess. Pral.*

Circa nomen falsum committens, ut vicarius personatum sibi falsò assumens, si de eo confessus & convictus: postea in eodem Episcopatu ad officii executionem non admittitur. *c. illud etiam. de vicariis. 6. de excessib. Pralat. junge c. tuarum. de privil.*

Circa literas falsum committens; si Principis sigillum falsificaverit: si Clericus, ordinibus degradatur, ei character, à Iudice Seculari, *Gloss. ad c. audientiam. 3. hic.* infligitur, & à provincia expellitur: *d. c. audientiam.* si falsas literas

litteras impetravit, vel impetrare curavit, vel nomine Summi Pontificis falsis scienter utitur literis; si Clericus officio & beneficio Ecclesiastico spoliatur: si Laicus, donec satisfecerit competenter, excommunicatur. *c. ad falsarium. §. fin. hic. c. dura. eod.*

Circa scripturam falsum committens: & quidem circa litteras Papæ, si eas per se, vel per alios, falsificavit; cum fautoribus & defensoribus suis anathemate feritur: & si Clericus fuerit, omni officio & beneficio Ecclesiastico perpetuò privatur, ita ut si per se id fecerit, ab Ecclesiastico iudice degradatus, seculari Potestati juxta legitimas constitutiones puniendus tradatur: per quam & Laicus de falsitate convictus legitime punitur. *d. c. ad falsariorum. c. novimus. de verb. signif.*

Pro seculari tamen potestati tradito, Ecclesia intercedet efficaciter, ut citra mortis periculum, in eum sententia moderetur. *c. super literis. 20. de rescript.*

Circa monetam falsum committens; excommunicationis sententiâ, reservatâ soli summo Pontifici, vel in mortis articulo alteri absolute, innodatur. *c. un. Ext. hic.*

Circa mensuram falsum committenti triginta dierum in pane & aqua pœnitentia injungitur. *c. 2. de emtion.*

Alchymistæ, qui eis scienter ministrant, auro ab eis conflato utuntur; in tantum auri veri quantum fuerit alchymicum, pauperibus dandum damnantur; fiunt infames; & si sint Clerici, beneficiis quæ habent privantur, ad habenda inhabiles redduntur: si pœnam solvere propter paupertatem nequeant; carcere vel aliâ corporali pœnâ castigantur. *c. un. Ext. de crim. fals. vid. D. Thom. 22. quest. 77. artic. 2.*

De Sortilegiis.

T I T. XXIX.

Sequitur de sortilegiis: quia iis falsitas inest.
Sortilegium, in genere, omnem divinationis, impietatis,

tatis, vanitatisque magicæ speciem comprehendit. *c. s̄ per sortiarias. 33. qu. 1. vid. & Plinium lib. 28. cap. 4.*

Sortilegi propriè dicuntur, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum vocant, sortes, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. *c. sortilegi. 26. qu. 1. & 2. ex Isidor. lib. 8. Etymol. cap. 9.*

Divinationis plures sunt species; per terram, quæ *Geomantia*; per aquam, quæ *Hydromantia*; per aërem, quæ *Aëromantia*; per ignem, quæ *Pyromantia. c. igitur genus. 26. qu. 3. & 4. c. nec mirum. 26. qu. 5.* Sunt & *Incantatores*, qui verbis & cantionibus ad sortilegia utuntur: *Arioli*, qui in aris Idolorum & per aras superstitiones suas agunt: *Haruspices*, qui in singulis negotiis exta inspiciunt: *Augeres*, qui avium garritus, voces, actiones observant: *Auspices*, qui aves considerant: *Genethliaci*, qui ex genituris; *Salitores*, qui ex membrorum saltu præfagiunt: *Pythones*, qui ex dæmone; *Astrologi*, qui ex astris; *Necromantici*, qui ex mortuis se dicunt responsa accipere: *Præstigiatores*, qui aciem oculorum perstringunt, & magicis artibus faciunt apparere quod non est, & quod est celant. *d. c. nec mirum. 26. qu. 5. d. c. igitur genus.*

Quæ omnes, quia ad superstitionem vel idololatriam vel ad Dæmonis cultum, expressè aut tacitè inducunt, hoc Jure, *c. illud quod est. 6. cum 4. seqq. 26. qu. 2. c. qui sine Salvatore. 26. qu. 2. c. illos planetarios. 8. eod. 26. qu. 2. c. sed illud. 9. eod. qu. 2. c. 1. & 2. hic.* & Divino, *Exod. 22. vers. 18. Levit. 29. vers. 31. Lev. 20. vers. 6. & 27. Dent. 18. Num. cap. 23. & 1. Regum. 23. vers. 9.* prohibentur.

Sortes, quæ sine superstitione aut Dæmonum pacto expresso vel tacito fiunt, ex magna causa, ad Dei voluntatem in ambiguis cognoscendam, permittuntur. *c. non exemplo Matthia. c. hi, qui de paginis. c. non statim. 26. qu. 2. c. fin. hic.* Sors enim per se aliquid malì non est: sed est res, in dubitatione humana divinam voluntatem indicans, *c. 1. sors non est. 26. qu. 2. ubi Gloss.*

T

Sorte

Sorte qui abutuntur, & divinationes exercent, quæ hæresin non sapiunt: in foro conscientiæ, sive sint Laïci, sive Clerici, per quadraginta dies pœnitere debent: *c. 1. hic. ubi Dd. in foro Contentioso*, hujus, puta Juris, si Clerici à divinis & ministerio Altaris, secundum facti qualitatem & facinoris turpitudinem, per annum, & ultra, judicis arbitrio, suspenduntur: *c. 2. & ibi Gloss. eod.* si quidem non dolo, sed ex simplicitate illud commiserint: alioquin ab omni ordine sacro deponuntur, beneficiis privantur, & in monasterium includuntur. *c. si quis Episcopus. ubi Gloss. 26. qu. 5. Abb. in d. c. 2. num. 4. in fin. Grilland. tract. de sortileg. qu. 11. num. 3. & 10.* Si Laïci, & viles, fustigantur, vel mitrâ insigniuntur: si honestiores, relegantur, vel perpetuo carceri mancipantur. *c. contra idolorum. 26. qu. 5. Rom. sing. 660.*

Qui divinationes exercent, quæ hæresin sapiunt (ut si dæmon pro Deo habeatur, imagines baptizentur, aliave eâ mente & pertinaciâ fiant, ut Deum verum ejusque Sacramenta esse negent:) ut hæretici puniuntur. *fac. c. recusatus. §. sanè. de hæretic. in 6. Grilland. d. qu. 11. num. 1. & 6.*

De hoc crimine cognoscit Iudex Ecclesiasticus, si accusentur personæ Ecclesiasticæ; *c. at si Clerici. de jud. c. si diligenti. de foro compet.* si Laïci, & simul hæresin hoc crimen contineat; vel Episcopus, vel Inquisitores fidei, conjunctim, vel disjunctim, secundum ordinem *in Clem. multorum. de hæretic.* constitutum: si non contineat; solus Episcopus. *d. c. accusatus. §. sanè.*

De Calumniatoribus.

TIT. XXX.

Calumniatores hic accipiuntur pro eis qui falsa crimina, scienter, animo calumniandi vel vexandi reum, intendunt.

Dico *scienter*; quia temeritas facilitatis veniam continet:

82

& inconsultus calor calumniæ vitio caret. *ut not. in c. s. quem pœnituerit. 2. qu. 3. & c. si quis iratus. 2. qu. 3.*

Unde reo absoluto, Judex de accusatoris consilio, quâ mente ductus ad accusandum processit, quærere incipit.

Qui, si eum calumniosè crimen intentasse reperit, *d. c. si quem. §. sed non utique.* similitudine supplicii, quod probato crimine subiisset reus, cum existimationis dispendio, eum plectit. *c. 1. 2. qu. 3. c. quisquis. 2. qu. 8. c. calumniator. 2. qu. 3.*

Subdiaconus tamen calumniosè Diaconum accusans, officio Subdiaconatus privatur, & verberibus publicè castigatus in exilium mittitur. *c. 1. hic.*

Denunciator in probatione criminis deficiens, ab officio & beneficio suspenditur, donec se non calumniandi animo ad denunciandum processisse ostenderit. *c. 2. eod. e. quia juxta. 5. qu. 6.*

De Collusione.

TIT. XXXI.

Collusio nihil aliud est, quàm occulta conventio eorum, qui inter se judicio contendere simulant. *c. s. quem. 2. qu. 3.*

Quare, qui partem adversam adjuvant, proditis causis suis, prævaricari dicuntur; *d. c. si quem.* si quidem sint causæ criminales: *c. si quis. §. is autem. 2. qu. 3.* si spirituales, colludere. *c. audivimus. 3. hic.*

In criminalibus vel matrimonialibus, *c. ult. de transact.* causis, quia eæ, hoc jure, omnes quasi publicæ censentur, per transactionem, gratiam, collusionem, à lite recedere non licet; *c. crimina. & c. seq. hic.* si fiat, causæ iterum in judicium deducuntur, possuntque Rei, abolitione non obstante, accusari, & in eos inquiri. *c. ult. hic.*

Potest tamen judex de crimine, quod in judicium deductum, dispensare; auctoritatem, si accusator & accu-

status inter se gratiam facere velint, præstare. *arg. c. si pri-
mates. 5. qu. 2. c. 1. & c. studendum. dist. 15.*

In causis spiritualibus, ex causa licet per gratiam à lite
recedere; non sine causa, *c. quapropter. 2. qu. 7. c. fin. de
de calumn. nec per transactionem. c. 3. de transact. c. ult.
de rer. permut. si factum; Judex rursus ex officio inquit,
c. 1. 2. 3. hic. & si causa fuit beneficalis, eum qui collu-
sit, beneficio privat. d. c. audivimus. 3.*

De Clerico venatore.

T I T. XXXII.

IN Clericis delictum est *Venatio*; Quæ eis interdicitur:
quia clamoris plena est, & immoderata; quia in ea ple-
rumque rixæ, injuriæ, pacis violationes contingunt;
quia eâ Clerici à Divinis abstrahuntur; *c. 1. ne Cler. vel
Monach. quia Clerici animalia venationi inservientia, ut
canes, accipitres, alere prohibentur. Gloss. in c. Esau.
dist. 86.*

Est *Venatio*, secundum Canonicos, *Gloss. in c. qui vena-
toribus. 8. dist. 86.* alia *Oppressiva*; quæ homines perdit; *de
qua in c. fin. in fin. dist. 6.* alia *Arenaria*; quæ fit, receptâ
mercede, in arena cum feris bestiis; *de qua in d. c. qui ve-
natoribus.* alia *Saltuosa*; quæ in silvis & saltibus, feras per-
sequendo & occidendo, exercetur.

Oppressiva venatio omnibus prohibita est: ob præceptum
Divinum, *Non occides.* *Ioann. de Turrecrem. in d. c. vena-
tionibus.* ut & *Arenaria*; (Quia ex ea hominum interi-
tus sequi solet:) unde & mortale est peccatum ita decer-
tare. Nisi causâ necessitatis, ad mortem evitandam fiat.
*Abb. & ceteri. in c. 1. hic. fac. d. c. qui venatoribus.
ubi Gloss. c. videns. dist. 86.* *Saltuosa*, sui naturâ & re-
gulariter permessa est. *Gloss. in d. c. quis venatoribus.*

Verita aliquando est *ex tempore*, aliquando *ex persona
Venatoris.* *Gloss. d. c. qui venatoribus.*

Ex tempore; in *Quadragesima*, & diebus jejuniorum;

c. an putatis. 13. dist. 86. nisi necessitate urgente. fac. c. si nulla. 23. qu. 8.

Ex persona; Clericis omnibus: sed aliter iis, qui in dignitate sunt constituti, ut Episcopis; aliter reliquis.

Episcopis omnino, *c. 1. dist. 34. ut & Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis; c. 1. hic. ubi Gloss. junct. c. miramur. de serv. non ordin. reliquis, tempore quo divina peragenda, c. 1. ne Cler. vel Mon. c. 1. & 2. hic. & si sit venatio clamorosa, c. an putatis. dist. prohibetur: permittitur ex causa necessitatis, ut habeatur victus; & interdum recreationis: modo venatio sit quieta, & raro fiat. Gloss. in d. c. 1.*

Qui contra faxit: si Episcopus, tribus mensibus; si Presbyter, duobus mensibus à communionem; si Diaconus vel Subdiaconus, *arg. d. c. miramur.* ab omni officio suspenditur; *c. 1. hic. c. quorundam. dist. 34.* si Monachus, & quidem Abbas, vel Prior, per annum à collatione beneficiorum: si alius, per annum ab administratione, si quam habet, suspenditur; si nullam habet, per annum ad administrationem aut beneficium obtinendum inhabilis redditur. *Clement. 1. §. porro. & §. si quis autem. de statu monach.* Reliqui, arbitrio Judicis, ita tamen ut vindictam præcedat trina monitio, puniuntur. *Ioan. Andr. in d. c. 1. hic.*

De Clerico percussore.

TIT. XXXIII.

Secundum Clericorum delictum est *Percussio.*

Ea est vel *Spiritualis*, cum Doctor sermone inutili infirmorum conscientiam percutit: *c. sanè percussor. dist. 45. c. si rector. dist. 44.* de qua hic non agitur. vel est *Corporalis*, & propriè dicta; cum flagris vel verberibus Clericus eum qui ipsi non subjectus, vel eum qui est subjectus, crudeliter cædit. *c. praterea. hic.*

Leviter enim, per alium Clericum, Episcopus, correctionis causâ, delinquentes Clericos tantum punire potest. *c. cum beatus. dist. 45. c. ante omnia. dist. 35. & c. circumcelliones. 23. qu. 5. c. 1. 24. qu. 5.*

Pœna percutientis Clerici est suspensio ab officio, & nisi monitus se corrigat, degradatio. *c. 1. hic.*

Episcopus, qui, etiam in justitia, aliquem crudeliter cædi jussit; duobus mensibus ab Missarum administratione debet abstinere: *c. 2. eod.* si id fecerit, ut timeretur, ab officio deponi & repelli. *can. Episcopum. dist. 45. & per tot.*

De Clerico maledico.

T I T. XXXIV.

Tertium delictum Clericorum est *Maledictum*: id est, cum quis asserit, alteri malum inesse, quod non inest; vel negat inesse bonum, quod inest.

Sunt ergo duæ maledicti species. altera *affirmativa*; veluti, *Tu es spurius, tu es latro.* altera *negativa*; veluti, *Tu non credis in Deum, tu non fungeris officio tuo.*

Utraque punitur pro qualitate delicti. *c. 1. & 2. hic.*

Clericus tamen maledicus, maximè Sacerdos, ad veniam postulandam, per sententiam excommunicationis, *c. fin. 22. qu. 1. c. 3. 6. qu. 1.* compellitur; si noluerit, degradatur, id hic est, suspenditur: *Gloss. in c. Clericus. 5. dist. 46.* nec unquam absque satisfactione ad officium revocatur. *d. c. Clericus. 5. dist. 46.*

Maledictum, cum in Deum, vel Beatam Virginem, vel Sanctos confertur, *Blasphemia* propriè vocatur. *c. 2. hic. c. non sunt. 54. II. qu. 3.*

Ejus pœna Canonica olim erat, in Laicos excommunicatio, in Clericos depositio, *c. si quis. 22. qu. 1.* Cui alia conjuncta; *c. 2. hic.* ut Laici septem diebus dominicis præforibus Ecclesiæ in conspectu populi recumbentes, ultimo illorum dierum Dominico, sine pallio & calceamentis, laqueo seu loro collo involuto & pendente, sedentes, non antea Ecclesiam ingredi paterentur, quam sex feriis in pane & aqua jejunassent, & pauperes simul singulis diebus aliquos refecissent. Clericis autem publica pœnitentia remittitur,

TIT. XXXV. DE CLERICO EXCOMMUN. &C. 295
mittitur, *c. ex pœnitentibus. dist. 50. c. quicumque. dist. 51.*
c. 1. de bigam. privata indicitur. Puniuntur & Blasphemi
pro modo facultatum pœnâ pecuniariâ. d. c. 2. §. fin. hic.

Propter quam jurium, & ob circumstantiarum varietatem, communis Doctorum opinio est, blasphemix pœnam esse extraordinariam: & proinde judicem pro facti & personæ qualitate eam posse indicere. *Decius conf. 163. num. 1. Covarruv. c. quamvis. part. 1. §. 7. num. 13. de pact. in 6. Abb. & cateri, in c. 2. hic.*

*De Clerico excommunicato, deposito,
vel interdicto ministrante.*

TIT. XXXV.

Quartum delictum in Clerico est, *Si ministret, cum ministrare certas ob causas non debeat.*

Causæ eæ sunt quatuor. Quarum prima est, *si sit excommunicatus, vel depositus, vel interdictus.*

Si excommunicatus, aut interdictus, ministrat, deponitur; *c. 1. 3. & 4. hic.* & Si majori excommunicatione teneatur, per tres continuos annos pœnitentia ei imponitur; *c. fin. 11. qu. 3.* beneficio privatur; si monitus à ministrando non desistat, ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur: *c. si quis. c. clerici. c. latores. hic.* Si minore excommunicatione tantum ligatus ministrat, graviter quidem peccat; nullius tamen irregularitatis notam incurrit: peccat etiam, Ecclesiastica Sacramenta si conferat; collata licet effectu non careant; quia non à collatione, sed à sola sacramentorum participatione, quæ in sola consistit perceptione, videtur remotus. *c. si celebrat. c. fin. hic.*

Clericus, qui ab officio suspensus, aut depositus, nihilominus ministrat, excommunicatur: *c. 2. hic.* & quidem excommunicatione perpetua. *c. accedens. 10. dist. 50.*

Sed hæc intellige si sciant, se excommunicatos, suspensos, depositos; non si, illud ignorantes, ministrent: Quo casu, si ignorantia est probabilis, irregularitatem non incur-

currunt: incurrunt, si ea sit supina; dispensatione tamen Pontificis eâ liberantur. *c. illud. 5. c. Apostolica. 9. hic.*

De Clerico non ordinato ministrante.

TIT. XXXVI.

Secunda causa est, *si Clericus non sit ordinatus.*

Is si nihilominus ministerium ordinis, quem non consecutus, exsequatur; ab Ecclesia dejicitur, & nunquam ordinatur. *c. 1. hic.*

Sic qui Diaconus tantum est, si Missam celebravit, ad sacerdotium, sine dispensatione, *Gloss. ad. c. fin. verb. promoveri. eod.* non promovetur, & à Diaconatu ad tempus suspenditur; sed in beneficio, si habet, ad tempus dispensari poterit, ne sustentatione privatus, ad seculi negotia revertatur. *d. c. fin. eod.*

Ob quam rationem etiam ob homicidium ab officio suspenso beneficium reservatur. *c. studeat. 39. dist. 50. c. Presbyterum. dist. 28.*

De Clerico per saltum promot.

TIT. XXXVII.

Tertia causa est, *si Clericus non gradatim, sed per saltum*, id est, à minori ad majorem omisso medio: ut ad Diaconatum ante Subdiaconatum, Presbyteratum ante Diaconatum, *sit promotus.*

Quæ ordinatio non valet; Undè si scienter promotus ministrat, ut Clericus qui non ordinatus ministravit, punitur: Si ignoranter, suspenditur ab executione suscepti, donec peractâ pœnitentiâ ad omissum fuerit ordinatus. *c. un. hic. c. unico. dist. 52.*

Quæ pœnitentia censetur arbitraria; quia jure non definita. *c. non satis. de offic. deleg.*

Dixi *ab executione suscepti*; quia ordo, ab eo qui ordinandi potestatem habet, quomodocunque sive per gradum, sive

TIT. XXXVIII. DE EO QUI ORDINEM, &c. 297
sive per saltum, collatus, charactera quidem confert; non
executionem; nisi juris regulæ sint servatæ. *ut dic. Hostiens.
& Panorm. ad c. un. hic.*

De eo qui ordinem furtivè suscepit.

TIT. XXXVIII.

Quartæ causa est, si Clericus clam & furtivè ordinem
acceperit.

Illud fecisse intelligitur, non tantum qui se clam cum
aliis intrusit, cum quibus promotus; *c. quando Episcopus.
dist. 24.* sed & qui plures ordines uno tempore simul susce-
pit. *c. innotuit. fin. hic.*

Hic à majoribus ordinibus exclusus, etiam suscepti or-
dinis executionem, de rigore juris, non habet; *d. c. inno-
tuit. hic.* & pœnitentiæ monasterii ei injungitur. *c. veniens.
I. c. innotuit. eod.*

Ad superiores tamen ordines descendere potest, si cum
eo dispensetur. *d. c. veniens. I. & 2. & fin. eod.*

Dispensare potest solus Papa, si contra hoc facientes
lata erat excommunicatio; si non, & Episcopus, & Abbas.
d. c. I. & 2. & fin.

Furtivè etiam ordinatus censetur, qui sine examinatione
se ordinari curavit; *c. extra conscientiam. dist. 64. c. quan-
do. dist. 24.* quare & deponi debet. *c. si quis Presbyter. c.
fin. dist. 24. c. ex pœnitentibus. dist. 50.*

*De excessibus Prælatorum & Sub-
ditorum.*

TIT. XXXIX.

Sequitur nunc specialiter de Clericorum sive Prælato-
rum, sive Subditorum delictis, quatenus non fungi-
tur officio, quod sibi invicem præstare debent.

Peccat enim Prælati, cum excedit officium suum erga
Subditos; & peccant Subditi, cum erga Prælatos officium
suum excedunt.

Officium subditi erga Prælatum est, ut ei honorem & obedientiam exhibeat, *c. ad aures. 5. de tempor. ordin. dist. 93. per tot.*

Officium Prælati erga subditos, ut eos tanquam Clericos honoret & diligat; nec solum eis præsit, sed profit. *vide supra. lib. I. tit. 13. de offic. & potest. Episc.*

Qui contra officium peccarunt, variè, pro admissi qualitate, coërcentur. *vide c. 1. 2. 3. c. sicut. c. inter. c. minis. hic.*

Quibus modis de crimine agatur.

T I T. XL.

Hucusque varia enarravimus criminum genera; nunc videndum, quomodo ea in iudicium deducantur, ut puniantur delinquentes.

Hoc fit aut per *Accusationem*, aut per *Inquisitionem*, aut per *Denunciationem. c. qualiter. vers. contra quos. de accus. c. licet Heli. 31. circa pr. de Simon.*

Accusatio, est criminis alicujus, & ejus qui illud admittit, apud Iudicem delatio, publicæ vindictæ & pœnæ causâ facta.

Ea coram idoneo & competente Iudice instituenda, ab iis quibus accusandi jus est, contra eos quos accusare licet.

Competens Iudex est alius si Clericus accusatur, alius si Laicus.

Si Clericus, est Iudex Ecclesiasticus, *c. clericis. de judic. c. 1. & seqq. 11. qu. 1. c. at si Clerici. c. cum non ab homine. de jud. c. novimus. de verb. signif. ordinarius*; vel alius cui ex consuetudine, vel privilegio data fuit iurisdictio, & potestas cognoscendi: *c. cum contingat. 13. de foro comp.* Nisi Clericus sit incorrigibilis, & exauthoratus, & à iudice Ecclesiastico Curiaë seculari traditus vel relictus. *d. c. cum non ab homine. & d. c. novimus.*

Si Laicus accusatur; comperens iudex est Secularis, qui cum potestate est. Nisi tale objiciatur crimen, quod
& ad

& ad forum Ecclesiasticum pertineat: ut sacrilegium, *c. cum sit generale. 8. §. 1. de foro comp. c. de viro. 12. qu. 2. usuræ, c. cum tu. de usur. perjurium, c. Presbyter. dist. 81. adulterium. tot. tit. de adult. &c.* Tum enim Ecclesiasticus iudex, in quantum illud peccatum & detrimentum animæ contineat, cognoscit. *c. novit. de judic.*

Accusare possunt omnes, qui non expresse prohibentur. l. 8. ff. de accusat.

Prohibentur hoc jure omnes, qui & jure Civili ab accusatione repelluntur, *c. canonica. cum seqq. c. accusatores. c. accusationes. 3. qu. 5.* & præter illos inimici accusare inimicos, *c. repelluntur. 7. c. cum. 1. 10: c. meminerimus. 13. de accusat. criminofus criminofum, c. 4. c. 6. c. quarendum. 2. qu. 7. c. qui sine. c. postulatus. 3. qu. 7.* Laïci Clericos, nisi suam vel suorum injuriam prosequantur: *c. de catero. 14. ubi Gloss. de testib. Clerici Laïcos, d. c. sicut. 6. sine expressa contestatione, se non ad sanguinis vindictam seu pœnam attendere; c. de homicid. in 6. adde c. postulasti. 21. eod. Viles personæ Clericos, d. c. quarendum. & c. nulli. de accusat. nisi hi antea eorum consuetudine fuerint usi: d. c. nulli. Subditi qui improbi & criminofi, *c. oves. §. his auctoritatibus. cum c. seq. c. accusatio. in princ. c. sunt nonnulli. §. fin. cum c. seq. 2. qu. 7.* Prælatos vel Magistratus suos, *c. 1. c. Sacerdos. c. qualis. c. sententia. c. oves. c. sunt nonnulli. c. si hæreticus. §. item quod dicitur. 2. qu. 7. c. hi qui. 3. qu. 4. nisi à fide exorbitaverint; c. sacerdotes. in fin. c. oves. vers. nisi. c. præsumunt. 2. qu. 7. nomine sint Prælati, non vita. d. c. non omnes. c. non omnis. c. secuti. c. qui nec. c. plerumque. 2. qu. 7. c. vereor. 8. qu. 1.**

Admittuntur tamen fere omnes in criminibus atrocioribus; puta, læsæ Majestatis, hæresis, Simonix. *c. tanta. 7. c. licet Heli. de simon. l. pen. C. de iis qui accus.*

Plures eundem de diverso crimine accusare possunt; *l. 9. C. de accusat. non de eodem. c. illa. 3. eod. l. 16. ff. eod.* Nisi priori accusatore desistente alius eundem Reum repetat. *c. prohibentur. §. ab alio. 2. qu. 1. l. 11. fin. ff. eod.*

Sic

Sic reus accusatus, pendente iudicio non potest accusatorem suum pari vel minori crimine accusare; *c. 1. c. non est. c. neganda. 3. qu. 11. c. ult. §. similiter. qu. 1.* majore potest, *d. c. non est. §. hoc autem.* aut si suam suorumve injuriam persequatur. *d. c. neganda.*

Accusari possunt, nisi prohibeantur expresse, rei utriusque sexus, cujuscunque ætatis (modo doli sint capaces, *l. 37. ff. de minor. l. pupillum. 111. ff. de div. reg. jur.*), & conditionis, etiam servi; *l. 5. l. 12. §. 2. ff. de accusat. c. si quis cujuslibet. 23. qu. 5. c. quicumque. dist. 81. c. qui contempta. dist. 8. c. 2. penult. de accus. c. 1. & 2. de delict. perjur. c. illa. 15. qu. 1.* modò ipsi crimen commiserint, non alii; *in princ. cum cc. seqq. usque ad c. quia Præfulatus. c. crimen. c. ludæi. c. cum itaque. c. non imputantur. 1. qu. 4. c. 1. c. certum. §. illicita. 24. qu. 3. c. quaris. de consecrat. dist. 4.*

Nisi illud fieri mandaverint; *c. si quis iratus. cum c. seq. de poenit. dist. 1.* in illud consenserint; *c. qui consentit. 11. qu. 3. c. omnes. 17. qu. 4. c. videns. §. fin. 27. qu. 1. c. facientis. dist. 68.* ad illud aliquem coegerint; *in princ. cum c. seq. 22. qu. 5.* illud, cum possent, non impediverint. *in princ. cum cc. seqq. dist. 83. c. facientis. dist. 86. c. non inferenda. c. qui potest. c. ab Imperatoribus. & c. ult. 23. qu. 3. c. non putes. c. non est. c. qui vitis. 23. qu. 5. c. dilecto. 6. §. & quidem. de sent. excommun. in 6.*

Expresse accusari prohibentur hoc jure, omnes qui & jure Civili prohibentur; adde nec Imperatorem posse accusari, *c. proposuit. de concess. præb.* nisi hæreseos, perjurii, & sacrilegii; *c. ad Apostolicam. de re jud. nec Papam, d. c. proposuit.* nisi de hæresi: *c. si Papa. dist. 40.* & tum à Principe vel à Synodo judicatur. *c. Princeps. 23. qu. 5.*

Rei accusari debent regulariter eo in loco, ubi crimen commiserunt; *c. 1. de raptoribus. c. Paulum. §. revera. 2. qu. 3. c. 1. & c. ult. 3. qu. 6. c. placuit. c. ult. 6. qu. 3.* Nisi Papa alibi accusari permiserit: *c. nec extra. vers. salva tamen. 3. qu. 9.* Alibi de crimine constare possit: Aliò, per appellationem vel iudicis recusationem, causa devolvatur:

c. pul-

c. pulsatus. §. hoc autem. 3. q. 6. Episcopus accusetur: c. si quis in princ. 3. qu. 6. c. accusatores. §. nullus. 3. qu. 5. Reus alibi deprehendatur. c. 1. §. contrahentes. de foro compet.

Nemo ad accusandum admittitur, nisi per se, vel, si literas nesciat, per alium, se ad pœnam talionis inscribat; id est, libello subscribat, quo facilius puniri possit, si deprehendatur calumniari. *c. quisquis. 2. qu. 8. c. qui crimen. & c. tua. de procurat. c. qui non probaverit. 2. qu. 3.*

Ei qui ob publicum munus, quo fungitur, denunciatur, hæc inscribendi necessitas remittitur; *l. 7. C. de recusat. ut & ei qui de levibus, l. 6. ff. eod. aut crimine abigeatus. l. cui. C. de abigeis. apostasiæ, l. apostatarum. C. de apostat. accusat.*

Libellus inscriptionis debet complecti *nomen Iudicis, coram quo criminis fit delatio, nomen accusatoris & accusati, locum & tempus, crimen & ejus qualitatem, & personam cum qua crimen perpetratum: non tamen diem vel horam inferi necesse: item subscriptionem ejus qui dat libellum, se professum esse, vel alterius pro eo, si literas nesciat. Quæ si observata non fuerint, rei nomen aboletur, & ex integro reperendi reum potestas fit. l. libellorum. ff. de accusat. c. Paulum. §. omnis igitur. 2. qu. 3. c. pen. & ult. §. quæ vero. §. sed etsi. §. quod si libelli. 2. qu. 8.*

Institutâ accusatione, relatoque inter reos accusati nomine; causa agitur eodem modo per litis contestationem, exceptiones, &c. quo in civilibus procedi solet: *c. pen. de purgat. canon. l. 2. l. 4. C. de edend. l. 33. C. ad leg. Jul. de adult. l. 15. §. 2. ff. eod. Azo in rubr. C. eod. exceptis criminibus levioribus; item læsæ majestatis & hæresis; quæ & de plano cognoscuntur: juxt. text. & quæ latius tradunt Dd. in l. levia. 6. ff. de accusat. c. fin. de hæret. in 6. Clar. in pract. crim. qu. 64. & notoriis; in quibus nullâ aliâ probatione, nulloque ordine judiciario opus est. c. super eo. 3. de testib. cog. c. ad nostram. 21. de jurejur. c. tua non. 8. de cohabit. Cleric. c. manifesta. c. de manifesta. 2. qu. 1.*

Non

Non tamen ante hæc crimina coërcentur, quam si Iudici ipsius delicti circumstantiæ plene sint perspectæ: puta, an homicidii accusatus illud animo defendendi, an aliâ ratione motus, commiserit. *c. sicut dignum. 6. in princ. de homicid. l. aut facta. 16. ff. de pœnis. vid. Clar. in pract. crim. §. fin. qu. 3.*

Notoria autem crimina dicuntur, quæ nullâ tergiversatione celari possunt; utpote quæ fiunt coram populo, vel majore ejus parte. *Clar. d. §. fin. qu. 9. text. in c. pen. circa fin. de purg. can. d. c. manifesta. d. c. tua non.*

In exsequenda accusatione, præsentia accusatoris, *c. si quando. 2. qu. 6. c. criminationes. 2. qu. 7. c. præscripta. in princ. 2. qu. 8. c. absente. c. non oportet. c. habetur. c. qui accusare. c. absens. 2. qu. 8. & rei, c. ult. 3. qu. 9. c. in criminalibus. in fin. & c. ult. vers. excepto publico. 5. qu. 3. necessaria est; Nisi absentia causa per procuratorem reddatur; in princ. cum c. seq. 5. qu. 3. c. veniens. 15. §. idem verò ad suum. de accusat. Accusator, aut Accusatus, puta de injuria tantum, l. 15. C. eod. in illustri dignitate sit constitutus; *c. absens. 3. qu. 9. l. ult. C. de injur.* Civiliter ex crimine agatur; *c. tuæ fraternitati. 5. de procurat.* Per modum exceptionis crimen objiciatur. *c. super his. 16. §. fin. de accusat.**

Debet uti accusator probationibus luce meridiana clarioribus, expeditis, idoneis testibus, apertissimis documentis, indiciis ad probationem indubitatis. *c. sciant cuncti. 2. qu. 8. l. fin. C. de probat. c. dicit. 32. qu. 1. c. 1. 35. qu. 6.*

Legitime convicto Reo, sententia sine mora in eum ferenda est, & executioni mandanda. *l. cum reis. 18. C. de pœnis.*

Secundus modus, quo crimina in Iudicium deducuntur, est *Inquisitio.*

Ea est, cum judex ex officio, nemine accusante, disquirat an aliquis deliquerit, vel quis delictum admiserit. *fac. c. qualiter. de accusat. & inquisit.*

Est

Est vel Omnino *generalis*, ut cum Præses inquit, an in sua provincia sint homines facinorosi; *l. congruit. 13. in princ. ff. de offic. Præsid.* vel Omnino *specialis*, quâ contra certam personam certo de crimine inquitur. *d. c. qualiter. & l. 7. C. de accusat.* Vel *partim generalis, partim specialis*; ut, cum Titio occiso, Iudex inquit quis eum occiderit.

Inquirere possunt, Prælati vel superiores merum Imperium, ut Papa & Imperator per suos Legatos, seu Delegates; Episcopi in suis Diœcesibus, Metropolitanani in suis provinciis, *in casibus notatis in c. pastoralis. de offic. ord. & omnes cognitionem causarum criminalium habentes. c. cum dilectus. c. qualiter. eod.*

Inquiri post super criminibus gravibus & enormibus; ut homicidio, Simonia, adulterio, fornicatione, perjurio, incestu: non super levibus & dissimulandis. *c. inquisitionis. eod. c. cum l. & A. de re jud.*

Nec fieri debet inquisitio generalis de criminibus occultis; sed tantum de his, de quibus præcessit infamia: *c. qualiter. 17. in fine. c. qualiter. 24. c. cum oporteat. 9. c. inquisitionis. 21. §. 1. de accusat.* id est, late sparsa fama, & quæ sit publica, & constans de crimine commisso, & non à malevolis, nec data opera disseminata. *d. c. qualiter. c. inquisitionis. §. ad hæc.*

Facta tamen inquisitio ab eo, cui ea simpliciter commissa fuit contra aliquem facienda, valet, licet is eo tacito, de criminibus ejus, omiſſa inquisitione de infamia, inquisierit. *c. 2. de accusat. in 6.*

Nam & non præcedente infamia, vel sine inquisitione de ea, si reus coram Inquisitore ante inquisitionem de criminibus fuerit confessus, nihil ei exceptio, quod prius de iisdem criminibus non fuerit infamatus, proderit. *c. 1. de accusat. in 6.*

In Prælato aliud jus obtinet; nempe, ut, priusquam in eum de crimine inquiri possit, præter diffamationem, etiam scandalum sive periculum subesse debet. *d. c. qualiter. vers. sed cum super.*

Quæ

Quæ omnia obtinent, ubi inquisitio contra certam personam, puta Titium, instituitur. Cæterum non prohibetur Iudex de quolibet delicto generaliter inquirere, ut hac ratione ad specialem contra certam personam deveniat. *Innoc. in c. bona. 23. num. 5. de election. fac. l. 1. §. qui questionem. ff. de question. junct. l. congruit. ff. de offic. Præsid.*

In speciali inquisitione reo edi debent articuli, de quibus est inquirendus; item nomina & dicta testium, nec non exceptiones & replicationes illi permittendæ. *d. c. qualiter. §. debet igitur.*

Inquiri debet ex viris idoneis & fide dignis, non ex delati inimicis & perjuris. *c. cum oporteat. 19. vers. quod si. de accusat.*

Quæ inquirenda sint, permittitur arbitrio Inquirentis. *c. olim. 26. vers. inquiretis. eod.*

Crimine per modum inquisitionis probato, Reo regulariter, pœna, non ordinaria, sed arbitraria imponitur; *d. c. inquisitionis. 21. in princ. & d. c. qualiter. 24. §. verum ita. vers. quatenus si fuerit.* Nisi tale sit crimen, quod etiam post pœnitentiam ordinis suscepti executionem impediret. *d. c. inquisitionis. 21. in princ. vers. in quo quidem.*

Crimine non probato, canonica purgatio delato indicitur. *c. cum oporteat. 19. §. fin. & c. inquisitionis. 21. §. quasi visti. vers. sed infamato. & c. accedens. 29. §. si verò contra eum. de accusat.*

Tertius modus, quo crimina in Iudicium deducuntur, est *Denunciatio.*

Ea est criminis latentis, facta Iudici vel fisco, non observatâ formulâ accusandi, nunciatio. *fac. l. edicto. §. id autem deferri. ff. de jur. fisc. junct. d. c. qualiter. c. super his. de accusat.*

Est vel *Euangelica.* vel *Iudicialis.* *Bald. in addit. ad Specul. tit. de denunci.*

Euangelica est, quæ fit ad emendationem & bonum animæ,

animæ; ut cum uxor occultum mariti adulterium Sacerdoti denunciat. *c. si peccaverit. 11. qu. 1. c. ult. 32. qu. 5.*

Canonica est, quæ fit ad impediendum, ne quid illicitum fiat: veluti si quis denunciaret eos qui matrimonium contrahere volunt, in gradu esse prohibito. *c. cum in tua. 27. de sponsal. c. ad dissolvendum. 13. de despons. impub. c. ult. de clandest. despons.*

Judicialis, quam definivimus, est vel *publica*, vel *privata*.

Publica, est, quæ ex officio publico competit, & ad eam faciendam, non monitio, sed Episcopi, vel, eo negligente, Archiepiscopi inquisitio, requiritur. *c. Romana. de censib. c. Mennam, 2. qu. 5.*

Privata est, quæ ratione proprii interesse competit: & quidem cum oppressus nequit agere.

Denunciare hoc Iure, non Civili, *l. 6. ff. de custod. & exhib. reor. l. 6. §. pen. ff. ad SC. Turpill. l. ea quidem. 7. C. de accusat.* possunt omnes, quorum aliquâ ratione interest, *c. 3. de accusat.* item extranei omnes, qui recto utilitatis publicæ desiderio moventur, & vero justitiæ zelo excitantur: non infames, viles, conspiratores, inimici. *c. cum dilectus. eod. c. repellantur. c. qualiter. eod. c. si peccaverit. 22. qu. 1. c. cum in juventute. vers. licet igitur. de presumt. c. ex parte. de testib.*

Fit delatio sine inscriptione, & sine onere criminis probandi, proinde sine meru talionis: *c. super his. 16. de accusat.* tantum enim denuncians de calumnia jurare & testes criminis conscios debet nominare. *Damboud. in pract. crim. cap. 6. num. 10. & 11.*

Delationem in Clericorum criminibus denunciandis, charitativa debet præcedere monitio; *c. 2. & c. cum dilectus. de accusat.* non in denunciandis criminibus Laïcorum. *c. qualiter, & quando. in 2. §. fin. eod.*

Fit denunciatio, ut crimina Judici fiant nota, qui potestatem

restatem de reliquo inquirendi habet; *c. super his. eod.* & si denunciationem veram esse constitit, pro qualitate delicti animadvertendi. *c. si quis neque. 1. qu. 1. c. requiris. 1. qu. 6. c. nervi. dist. 14. c. sape. de restit. spoliat. c. 1. de offic. custod.*

Accidit interdum, ut alicui nec accusando, nec denunciando, nec inquirendo, sed *excipiendo* crimen objiciatur.

Quod fit vel *Actori*, ut ab accusatione repellatur; *c. super his. de accusat. vel Testibus*, ut eorum testimonia improbentur. *c. testimonia. de testib. c. 1. de except.*

Fieri debet ante publicationem, videlicet testimoniorum; non postea, nisi & ante publicationem protestatus fuerit, *c. presentiam. de testib.* aut nisi crimina objicienda, post publicationem excipienti innotuerint. *c. fin. de cognat. spirit.*

Qui de crimine non tenetur inscribere, *c. licet. de simonia.* nec, si crimine objectum non probaverit, punietur; ut nec si probaverit, is contra quem est in exceptionis duntaxat vim, ut repellatur, objectum. *c. cum dilectus. de ord. cognit. Bart. l. 2. in princ. ff. de accusat. & l. 2. §. si publico. n. 20. ff. de adult.*

De pœnis.

T I T. XLI.

REo crimen confitenti, vel testibus aliisque juris remediis convicto, pœna legitima imponitur.

Pœna, est læsio quæ punit, vindicans quod quisque commisit. *c. pœnitentia est quadam. dist. 3.*

Ea vel est *Æterna*, puta damnatio æterna, ignis æternus, & in alio seculo durans; *c. sunt plures. 42. §. fin. & c. ignis succensus. de pœnit. dist. 3.* de qua hic non agimus; vel *Temporalis*, quæ ad tempus, vel in hoc seculo inferitur, ut castigati meliores reddantur. *d. c. sunt plures. & seq.*

Hæc est, vel *Spiritualis*, vel *Corporalis*, vel *Realis*, vel *Mixta*.

Spiritualis, est quintuplex: *Pœnitentia*, *Excommunicatio*, *Interdictum*, *Suspensio*, *Remotio ab oblatione*, seu *ab ordine*. c. *sorte*. 23. qu. 4. c. *cum non ab homine*. de jud. De quibus titulis sequentibus.

Corporalis, est duplex: vel *in ipso corpore*; ut *damnatio ad furcas*, *ultimum supplicium*, c. *reos*. §. *sed objicitur*. 23. qu. 5. c. *de occidentis*. in princ. c. *si non licet*. §. *Et ideo*. c. *qui malos*. c. *homicidas*. c. *si audieris*. c. *hoc tamen*. 23. qu. 5. *fustigatio*, l. *Capitalium*. 28. in princ. §. 1. ff. *hic*. in *monasterium intrusio*, c. *dictum*. c. *si quis Clericus*. dist. 81. c. *de lapsis*. 16. qu. 6. c. *si qua Monachorum*. 27. qu. 1. c. *tua*. *hic*. *incarceratio ad tempus*, c. *quamvis*. 3. *hic*. in 6. *perpetua*, d. c. *quamvis*. c. *gravi depositi*. c. *à nobis*. de *apost*. c. *novimus*. de *verb. signif.* *verb. verberatio*, c. *Circumcelliones*. 24. qu. 5. *characteris impressio*: c. *ad audientiam*. de *crim. fals.* c. *ita quorundam*. de *Iudeis*. c. *multa*. 15. qu. *fin.* vel *circa existimationem persona*; ut *infamia*; c. *omnes verò*. 6. qu. 1. c. *infames*. 6. qu. 1. *relegatio*. c. *cum non ab homine*. de *judic.* c. 2. de *arbitr.* *privilegii clericalis privatio*. c. *contingit*. de *sent. excom.* c. *fin.* de *vit.* §. *honest.* *Cleric.*

Realis pœna; in *possessionem rei petita*, vel *pro modo debiti declarati*, *missio*; c. *quoniam*. ut *lite non cont.* *beneficii*, c. *si quis de ordine*. 7. qu. 1. c. *cum in cunctis*. de *elect.* *officii & beneficii in perpetuum*, *privatio*; *si quis à modo*. dist. 81. c. *ad falsariorum*. de *crim. fals.* c. *felicis*. *hic*. in 6. *confiscatio*, seu *bonorum publicatio*; c. *cum secundum leges*. 19. de *heret.* in 6. c. *excommunicamus*. de *heret.* c. *ita quorundam*. c. *ad liberandam*. de *Iudeis*. *pecuniaria multa*, c. *in Archiepiscopatu*. de *raptor.* c. 2. de *maledic.* c. *postulasti*. de *Iudeis*. c. *licet*. §. *ibi Gloss.* *hic*. c. *si quis contumax*. 17. qu. 4. *emenda*. *can. venerabilibus*. 7. §. *denique à subditis*. de *sent. excomm.* in 6.

Mixta; quæ partim *realis*, partim *corporalis*; ut *pro-*

scriptio,

scriptio, exilium. *c. accedens. dist. 50. c. biduum. 2. qu. 6. c. placuit. 16. qu. 1.*

Pœnas omnes imponere possunt tantum Judices competentes; ut sunt Ecclesiastici Clericis, non Laïci. *c. cum non ab homine. 10. & c. at si Clerici. 4. de judic.* ita tamen ut sanguinis pœnam non inferant; *c. Clericis. c. pen. ne Cler. vel Monach.* sed si qua sibi ex Delegatione Principis vel alio jure cognitio criminum competit; eam, si sanguinis pœnam irroget, vel ad ipsum Principem remittat; ut in *c. 4. de raptor. vel alicui Laïco demandet. c. fin. ne Cleric. vel Monach. in 6.*

Debent Judices, si criminibus certæ pœnæ à jure statutæ, eas sequi: *c. de causis. 4. §. illis etiam. de offic. deleg. c. licet. 3. de pœnis. c. cognovimus. c. ult. in princ. 16. qu. 6. c. non asseramus. 24. qu. 1.* si non; eæ arbitrio eorum irrogandæ permittuntur. *c. de causis. 4. §. illis etiam. vers. alioquin. de offic. deleg. c. fin. de transact.*

Sed, licet Judices à præscripta in jure pœna discedere non debeant; *c. 1. c. 5. de constit. d. c. de causis. 4. §. illis etiam. d. c. licet. 3. d. c. cognovimus.* possunt tamen, si causa subfit, pœnam vel augere, vel minuere, vel etiam prorsus remittere; *c. fin. de transact. c. inter alia. vers. nec inde. de immun. Eccles. c. fin. §. etsi solvendo. de delo & contum. c. si res aliena. §. huic certa. vers. verum quidem. 14. qu. 6. c. at si. 4. §. adulteris. de judic. inspectis circumstantiis causæ, personæ, *c. quærenti. 20. de verb. signif. can. fraternitas. 12. qu. can. in fin. 14. qu. 6. can. qui compulsus. 22. qu. 5. sexus, c. pen. & fin. 32. qu. 6. dignitatis, can. homo Christianus. dist. 40. can. præcipue. 11. qu. 3. can. quia Sanctitas tua. dist. 50. can. qui contra. 24. qu. 1. scientiæ, can. judicas. 3. qu. 9. ætatis, c. 1. & 2. de delict. puer. can. fin. dist. 14. loci, can. ante triennium. & can. aliter. dist. 31. c. cum olim. de Cler. temporis, quantitatis, qualitatis, eventus, de quib. in l. respiciendum. 11. ff. hic. c. sicut. 6. in princ. de homicid. c. aut facta. §. 1. de pœnit. dist. 1.**

Cave-

Cavere tamen semper debent, ut pœna major non sit delicto, *c. quasi vit. in 2. §. fin. de his qua fiunt à major. part. Cap. & ut teneat auctorem: non alium. c. crimen. 1. qu. 4. c. undecunque. dist. 55. d. c. quasi vit. exceptis paucis casibus.*

Ii sunt, cum servitus filiis ob peccatum patris infligitur; *c. cum multa. 15. qu. 8. c. Ecclesia. 11. §. item peccato. 1. qu. 4.* propter Regis peccatum, regnum interdicto subjicitur; *c. non est vobis. de spons. in Simonia, c. 1. qu. 5. & aliis; de quibus supra Tit. Quib. mod. in crim. agat. Aphorism. Accusari possunt.*

Toties pœna repetenda, quoties crimen renascitur. *c. 1. hic.*

Nec facile aut sine causa est remittenda. *c. 3. de offic. Ordin.*

Causa esse possunt, pietas, necessitas, multitudo, dispensatio, utilitas, misericordia, *c. requiritis, c. tanta. 11. cum. 7. seqq. cc. qu. 1.* si aliter de crimine satisfactum; *d. c. 3. de eo pœnitentia sufficienter facta; c. cum aliquis. 12. qu. 3. can. domin. §. fin. dist. 50.* condemnationis sententia, ut injusta, revocetur. *c. ad quorundam. de excessib. Pralat.*

De pœnitentiis.

TIT. XLII.

Spirituales pœnas suprâ diximus esse, *Pœnitentiam, Excommunicationem, Interdictum, Suspensionem, Remotionem;* de quibus, quia Iuri huic speciales, latius & ordine dicemus.

Pœnitentia, est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.

Unde (secundum Augustinum) pœnitere dicitur, quasi pœnam tenere: quia pœnitens punit in se ulciscendo, quod commisit peccando. *c. pœnitentia est quædam. 4. de pœnit. dist. 30.*

De hac pœna, quia etiam inter Sacramenta refertur; & propterea de ea supra *libro 2. tit. 6. de pœnitent. & remiss. egimus*, ne actum agamus, hic non tractabimus, lectorem ad dictum titulum remittentes.

De excommunicatione.

TIT. XLIII.

Excommunicatio, est censura Ecclesiastica, quâ Christianus à corpore Ecclesiæ, vel saltem Sacramentorum ejus perceptione, excluditur. *arg. c. omnis Christianus. cum c. seq. & c. qui verò. II. qu. 3. c. ad mensam. 24. §. hac sententia. II. qu. 3.*

Est duplex: alia Major, alia Minor dicitur.

Hac est, quæ tantum à Sacramentorum participatione removet; ac propriè vocatur *Excommunicatio. c. penult. de sent. excomm.*

Illa est, quæ non solum à Sacramentorum perceptione, sed etiam ab Ecclesia & omni fidelium communione segregat; *d. c. pen. & c. ult. 3. qu. 4. c. ad mensam. II. qu. 3. c. Anathema*, hoc est, æternæ mortis damnatio dicitur. *in c. nemo Episcoporum. II. qu. 3.*

Quæ vel est *Solennis*; & fit, adhibitis quibusdam ritibus & cærimoniis, post aliam contra incorrigibilem; aliquando propriè *Anathema* dicitur; *c. cum non ab homine. 10. de judic. c. 1. de locat.* Vel *Non solennis*; quæ sine solennitate, unico verbo fit: Nempe *excommunico. c. 1. de eo qui furt. ordin. susc. Gloss. in c. cum aliquis. 108. ad verb. cautelam. II. qu. 3.*

Infertur excommunicatio, vel à *Iure* seu Canone; vel ab *Homine* per sententiam. *c. nuper. de sent. excomm.*

A *Iure* infertur excommunicatio, tam *major*, quam *minor*, cum quis ipso facto absque judicis ministerio excommunicationi subicitur; quæ & idcirco *Canonica*, & latae sententiæ excommunicatio dicitur. *exempl. in c. de illis. c. cum aliquis. c. certum. princ. 24. qu. 3.*

Majore

Majore ipso jure notantur; divini, sortilegi, *c. si quis ariolos. c. non oportet. c. aliquanti. c. sortes. c. si quis Clericus. c. auguriis. c. Episcopi. in princ. c. quicumque. §. fin. 26. qu. 5. hæretici, & eorum receptatores & fautores, c. quod autem. in princ. 4. qu. 1. c. excommunicavimus itaque. de heret. c. noverit. 49. in princ. de sent. excomm. literarum Apostolicarum falsarii, c. si quis Episcopus. dist. 50. c. ad falsariorum. c. dura. §. fin. ubi Gloss. & Abb. de crim. fals. simoniaci, c. quicquid. 1. qu. 1. c. reperiuntur. §. fin. c. si quis Episcopus. §. fin. c. qui studet. c. ventum est. 1. qu. 1. Ecclesiarum violatores, & earum rerum raptores, c. canonica. 11. qu. 3. c. omnes Ecclesia. & c. frater. 17. qu. 4. c. si quis. 24. qu. 3. nova telonia imponentes, c. 23. si quis Romipetas. 24. qu. 3. c. innovamus. de treuga & pace. Clericos Romam euntes spoliantes, d. c. si quis Romipetas. d. c. innovamus. res mortui Episcopi, quæ ejus successori servari debent, diripientes; c. illud. & seq. hac hujus placiti. 12. qu. 3. cum excommunicatis, auxilium, favorem, consilium impendendo, communicantes, c. nuper. 29. de sent. excomm. ut in exempl. c. significavit. c. si concubina. eod. manus violentas in personas Clericorum vel religionum inferentes, c. si quis suadente. 17. qu. 4. c. si quis. 24. qu. 3. c. 1. 3. 13. & aliis. de sent. excom. aut inferre mandantes. c. 6. §. 1. eod.*

Nisi jocando, vel ob disciplinam, percusserint. c. 1. §. neque Magister. c. cum voluntate. 54. §. si qui verò. eod. aut sint impuberes, d. c. 1. in princ. aut Clericos in adultério vel stupro deprehensos, c. si verò. 3. §. nec ille. cum seq. eod. aut ignorantes, c. si verò. 4. eod. aut eos, qui non sunt in habitu Clericali, nec pro Clericis habentur, c. cum non ab homine. 14. c. in articulo. c. perpendimus. 23. c. in audientia. 25. c. contingit. 48. eod. percusserint, divina officia turbantes è templo ejecerint. c. veniens. 16. c. voluntate. 54. §. si quis verò. eod.

Minore excommunicatione ipso jure afficiuntur, mortale peccatum committentes; c. audi. 11. qu. 3. c. fin. de

Cler. excom. ministr. ut sacrilegi, c. si quis inventus. 17. qu. 4. Ecclesiam de manu Laici recipientes & tenentes, c. si quis deinceps. 16. qu. 7. & quilibet notorii peccatores: c. neque. dist. 83. c. illud. dist. 95. cum simil. cum majori excommunicatione denunciatis, & excommunicatis, locutione, oratione, salutatione, mensâ communicantes. c. si Apostoli. 16. c. excommunicatos. 17. c. cum excommunicatio. 18. c. qui communicaverit. 19. c. cura. 10. can. ad mensam. 24. 11. qu. 3.

Nisi sint eorum familiares & domestici. *c. quoniam multos. 11. qu. 3. c. si verò. 34. de sent. excom. aut ex ignorantia, d. c. quoniam. vers. & eos qui. & c. si is qui potest. §. fin. cum c. seq. c. ult. vers. seu ignorantia. 11. qu. 3. aut ex necessitate, d. c. ult. vers. seu necessitate. c. excellentissimus. vers. aliud est. 11. qu. 3. communicaverint; aut eis humanitatis gratiâ quid dare voluerint; d. c. quoniam multos. §. fin. aut excommunicatio eorum quibus communicantur, sit occulta, vel non nominatim facta, nec publicata: c. cura sit. §. fin. c. audi. c. 1. si quis Laicus. §. sed. hoc specialiter. 11. qu. 3. c. 1. §. fin. 24. qu. 3. aut prius non fuerint eis communicantes admoniti. c. quod in dubeis. 30. §. illi autem. & ibi Gloss. de sent. excom. & c.*

Ab homine infertur excommunicatio, cum Judex Ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus, c. 5. eod. in 6. c. pastoralis. 11. §. praterea, qui regulariter sit Presbyter: c. canonica. de sent. excom. subditum, c. à nobis. 21. eod. inobedientem, sive contumacem, sententiâ suâ excommunicat. c. 1. eod. in 6.

Qui, ut majorem excommunicationem imponere possit, debet jurisdictionem, de consuetudine vel jure communi spirituales habere; *Hostiens. de sent. excom. §. nedum. arg. c. praelectis. dist. 25. c. si in plebibus. dist. 69. c. 2. de offic. Archid. minorem etiam quivis inferior Prælati, imo & Clericus, curam animarum habens, infligere potest. c. quotidie. de consecrat. dist. 2.*

Non

Non excommunicat Laicus, *c. Subdiaconus. §. post tamen. vers. vel Catholico. 24. qu. 1. c. fin. de immun. Eccles. in 6. c. quanto amplius. 46. de privileg. in 6. c. bene quidem. 1. vers. maximus Episcopus dist. 96. nisi ex delegatione Papæ: Gloss. ad d. c. 1. vers. maximus. ad verb. Laico. arg. c. fin. 10. qu. 3. c. prater hæc. 6. §. verum. dist. 32. non Episcopi: Gloss. ad d. c. bene quidem. ad verbum Laico. & ibid. ad verbum prater Romanam. Nec excommunicat, qui est extra Ecclesiam, ut excommunicatus, hæreticus; *c. audivimus. cum cc. seqq. 24. qu. 1. c. verbum. de poenis. dist. 1. nisi forsan hæreticus hæreticum excommunicaverit; c. miramur. §. fin. cum c. seq. 24. qu. 1. Nisi in detestationem criminis, ob quod ab hæreticis fuit excommunicatus. d. c. Subdiaconus. in princ. usque ad §. potest tamen.**

Excommunicari possunt, tantum excommunicantis subditi; *c. fin. de constit. in 6. c. 1. & seq. 6. qu. 3. fac. c. sententia. 1. qu. 3. Christiani, non pagani. c. audivimus. §. unde Apostolus. c. seq. 24. qu. 1. vivi; non mortui; c. damnationis. §. his auctoritatibus. 24. qu. 2. (Nisi in tali reatu decesserint, qui post mortem accusari, & ille qui commisit, damnari possit: ut si de crimine hæreseos, *d. c. damnationis. §. his auctoritatibus. & c. fin. 24. qu. 2. c. sanè. 6. & ibi exempla. 24. qu. 5. αὐτοχρησίας, c. placuit. 23. qu. 1. agatur:) ii qui deliquerunt; non alii. c. si habes. 24. qu. 3. Nisi crimen committi mandarunt; *c. mulieres. 6. §. fin. c. universitatis. 24. de sent. excom. illud commissum ratum habuerunt; c. cum quis. 23. eod. cum possent prohibere, non prohibuerunt. c. quanta. 47. eod. major universitatis pars deliquerit: & tum tota universitas excommunicari potest. c. Romana. 5. §. fin. eod. in 6.***

Subditi Episcopi dicuntur ratione jurisdictionis spiritualis omnes qui sunt in sua Diocesi, etiam terræ Principes. *c. omnes. 4. de major. & obed. Pontificis Summi, eadem ratione, subditi sunt omnes Imperatores, Reges. c. suscipitis. eod. in 6. c. ad verbum. 96. dist. 10.*

Non tantum censentur subditi ratione territorii, *c. fin. de foro compet. sed & delicti. c. nobis. 2. de sent. excomm.* Unde & alienigena à Prælato loci in quo deliquit, excommunicari potest. *c. 1. de raptor. c. placuit. & c. fin. 6. qu. 3.*

Ferri potest excommunicationis sententia; pro crimine, *c. tam Sacerdotes. c. ecce autem. 24. qu. 3.* commisso puta, non committendo; *c. Romana. 5. §. caveant. de sent. excom. in 6. & pro contumacia: c. certum est. 43. c. si Episcopus. 11. qu. 3. c. si quis deinceps. in fin. 17. qu. 1. c. quoniam frequenter. ut lite non cont. c. ex parte. de verb. signif. non tamen pro causis levioribus, *c. nemo Episcoporum. 41. c. nullus. c. plerumque. §. causa ergo. 11. qu. 3.* aut propter vindictam propriæ & particularis excommunicantis injuriæ. *c. inter querelas. 23. qu. 4. c. 1. de maledic. c. si quis ergo. 2. qu. 7.**

Sententiam excommunicationis præcedere debet, & trina monitio, testibus præsentibus, *c. sacro. 48. de sent. excomm. cum justis dierum intervallis, c. constitutionem. de sent. excomm. in 6. c. sacro. 47. de sent. excom. c. reprehensibilis. 26. de appell.* aut una pro omnibus peremptoria, cum legitimo temporis interstitio, negotii, & qualitatis personarum habitâ ratione: *d. c. constitutionem. c. de illicita. 24. qu. 5. c. cum sit. de appell. d. c. reprehensibilis. 26. vers. nisi fortè. & ordo judicarius. c. 1. vers. nec aliquem excommunicare. de excess. Prælat. d. c. de illicita.*

Hic tamen si non servatus, valebit nihilominus excommunicatio; *c. si Episcopus. 11. qu. 3.* nulla erat si monitio non præcessit. *c. sacro. 47. de sent. excomm. c. 3. 9. 13. eod. in 6. d. c. reprehensibilis. 26. c. cum speciali. 61. de appellat.* & is qui sic excommunicavit, licet justè, per mensem Ecclesiæ ingressu prohibetur; & aliâ, si visum fuerit expedire, pœnâ mulctatur. *c. sacro. in princ. de sent. excom. c. si qui sunt. dist. 81.*

Ferri potest excommunicationis sententia purè, & sub conditione: ut, *Nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris*

ris

ris, te excommunico. c. praterea requisiti fuimus. 40. de appell.

Ferri debet in scriptis, nomine ejus qui excommunicatur, *c. constitutionem. c. licet. de sentent. excomm. in 6. Clem. gravius. in fin. eod. expressio, & causâ excommunicationis nominatim adjectâ, c. 1. §. quisquis. de sent. excomm. in 6. & probatâ. d. c. de illicita.*

Sententiæ latæ exemplum excommunicatis, quorum nomina sunt publicanda, *c. cura sit. 11. qu. 3. c. ad certitudinem. 3. de sent. excom. Extr. exhiberi debet. c. 1. §. exemplum. eod. in 6.* Cum ut excommunicati ab actibus excommunicatis prohibitis; tum ut alii ab excommunicatorum communione abstineant.

Omnes enim excommunicatos, antequam ab excommunicatione sunt absoluti, *c. cum desideres. 15. c. à nobis. 28. c. sicut. 39. c. si concubina. 55. de sent. excom.* vitare debent, *c. nulli. 8. eod.* Nec valet contrarium privilegium, *d. c. nulli. 8.* quo minus excommunicato communicans, ipso jure in excommunicationem incidat. *c. nuper. 29. c. sacris. 38. eod.*

Excipiuntur nonnulli qui cum iis, canone vel jure permittente, participare possunt: *c. quod in dubiis. & c. inter alia. 31. eod.* de quibus supra. *& in c. quoniam multos. c. 103. 11. qu. 3.*

Excommunicationis effectus gravissimi sunt, sed alii *spirituales*, alii *humani*.

Spirituales sunt; quod excommunicatus à Deo separatur, & Diabolo traditur; *c. centum. in princ. 11. qu. 3.* & proinde sacra ministeria peragere vetatur, *c. si quis Episcopus. in 3. & 4. sic incipiente. 11. qu. 3.* si facit, fit irregularis, *c. is, cui. de sent. excom. in 6.* ad ordines sacros nequit promoveri, *c. illorum. dist. 32.* si hoc fieri patiatur, in perpetuum deponitur, *c. cum illorum. 32. de sent. excom.* alium ordinare nequit, *c. veniens. de prescript. c. 1. de eo qui furt. ord. susc.* beneficium Ecclesiasticum ei conferri prohibetur: *c. postulastis. d. Cler. excom. ministr. c. fin. de*

de excessib. Pralat. ad illud de eo facta electio, c. constitutis. in 1. & ibi Gloss. de appell. c. cum inter R. & c. illa. de election. postulatio, c. 1. de postul. Pralat. Gloss. in c. fin. de excess. Pralat. nominatio, c. cum inter, de election. præsentatio, c. 1. & ibi Archid. de except. in 6. non valet.

Humani sunt; quod excommunicatus est infamis; c. infames. 6. qu. 1. pro mortuo habetur; Dd. in c. gravem. de sent. excom. sacramentorum omnium, matrimonio excepto, participatione, privatur, c. illud. dist. 56. c. ad ejus verò. dist. 5. c. significasti, de eo qui duxit in matr. quam prius poll. adult. c. 1. qui Cler. vel vov. ab Ecclesia, dum divina officia peraguntur, expellitur, c. nec licuit. c. si quis Episcopus. 11. qu. 3. Gloss. in c. Cleros. dist. 21. feudis Ecclesiæ privatur, c. gravem. 53. §. fin. de sent. excom. subditi & vasalli ejus ab ejus servitio liberantur, c. fin. de pæn. c. pen. & ult. 15. qu. 6. in cœmeterio non sepelitur, c. nobis. 18. de sent. excom. sepultus eximitur, c. sacris. de sepultur. à limine judicii, etiam parte non opponente, repellitur, c. 1. in fin. de except. in 6. proinde, proprio nomine, d. c. 1. in fin. aut alieno, ut procurator, c. post cessionem. de probation. advocatus, c. decernimus. de sent. excom. c. excommunicamus. §. credentes. de haret. agere prohibetur, ut & accusare, c. 1. 4. qu. 1. 2. de except. testificari, c. decernimus. de sent. excom. in 6. judicare, c. ad probandum. de re judic. sententiam demandari executioni petere. c. exceptionem. de except.

Judices sæculares, si excommunicatos ab agendo, patrocinando, testificando, aliisque actibus judicialibus in suis Curiis & judiciis, non repellant, à judicibus Ecclesiasticis per censuram Ecclesiasticam ad id compelluntur. d. c. decernimus. 8. de sent. excom. in 6.

Qui-

*Quibus modis excommunicatio
tollitur.*

TIT. XLIV.

Qui effectus tandiu obtinent, quamdiu excommunicatio non fuit legitime sublata. *c. sicut nobis. 39. de sent. excom.*

Tollitur ea; Excommunicantis revocatione, *c. sacro approbante concilio. 48. §. si verò iudex. eod.* per viam appellationis, aut citra eam, retractatione, *c. sacro. 48. c. caveat. eod. c. si Episcopus. 11. qu. 3.* ad osculum ejus qui absolvere potest admissione, *c. cum olim. de privileg. & absolutione.*

Excommunicantis revocatione; cum Iudex interlocutione errorem suum corrigit; quod facere potest: *c. qualiter, & quando. in 1. de accusat.* & tum à gravato per primam sententiam appellatio non admittitur. *c. cum cessante. de appell.*

Per viam appellationis, retractatione: cum superior, apud quem injuste excommunicationem esse factam, probatum, excommunicatum, exactâ de juri satisfaciendo cautione, vel absolvit, vel absolvendum ad excommunicantem demittit. *c. per tuas. de sent. excom. c. sacro. 48. c. caveat. eod. c. si Episcopus. 11. qu. 3.*

Citra appellationem, & sine remissione, superior potest absolvere excommunicatum si videat sententiam esse aperte & manifeste injustam. *c. in sollicitudinem. de appellat.* & hoc faciet si periculum sit in mora absolutionis. *d. c. sacro.*

Injuste qui excommunicavit excommunicato injuriarum, *c. illud. c. temerarium. 11. qu. 3.* & sacrilegii, *c. non in perpetuum. 24. qu. 3.* tenetur.

Absolutione excommunicatio tollitur: nam ea nihil aliud est, quam censuræ Ecclesiasticæ per eos, qui absolvendi jus habent, facta relaxatio.

Ius

Ius absolvendi habent, qui ligandi, *c. 17. si Petrus. 24. qu. 1. ubi Gloss.* nisi aliter jure excipiatur: cum quoad *Papam*, tum quoad *Episcopum*.

Pontifex absolutionem sibi reservavit in casu injectionis manus violentæ in Clericos, *c. si quis suadente. 17. qu. 4. c. non dubium. c. veniens. c. ad eminentiam. c. de monialibus. de sent. excomm.* persequutionis Cardinalium, *c. felicis. de pœnis. in 6. incendi, c. tua nos. de sent. excom.* effractionis Ecclesiarum, *c. conquesti. eod. & similibus. ut in c. quærente. de off. deleg. c. dura. de crim. falsi. c. fundamenta. de election. in 6. c. quicumque. de sent. excom. in 6. Clem. multorum. de hæret. Clem. religiosi. de privileg.*

Episcopi absolutioni etiam nonnulli casus sunt reservati; ut levis manuum injectionis in Clericos, *c. pervenit. de sent. excom.* & aliorum criminum. *vid. Panorm. in c. monachi. c. mulieres. eod. & Gloss. ad c. si Episcopus. de pœnit. & remiss. in 6.*

Sede vacante absolvit ejus *Capitulum*, aut ille ad quem sede vacante Iurisdicção pertinet. *c. un. de major. & obed. in 6.*

Ab his, ut & *Pontifici*, reservatis, quilibet Sacerdos in articulo mortis moriturum, *c. non dubium. de sent. excom. c. un. Extr. de crim. falsi. c. pastoralis. 11. §. praterea. de offic. lud. ord.* aut mortale periculum aditurum; puta militiæ, aut itineris dubii, absolvere potest; *c. de catero. de sent. excom.* adeo ut evaso periculo in excommunicationem non reincidat. *Gloss. in d. c. de catero.*

Fit absolutio, vel *verbo tantum*, si excommunicatio verbo facta. *c. 2. ubi Gloss. ad verb. minimus. 24. qu. 3. arg. c. quidam. 5. qu. 1. vel solenniter*, si solennis præcessit excommunicatio. *c. 108. cum aliquis. 11. qu. 3. junct. c. 106. debent. 11. qu. 3.* Regulariter enim omnis res per easdem causas dissolvitur, quibus vincitur. *c. 1. de regul. jur. in 6.*

Aliquando ante absolutionem excommunicatus juramento debet promittere, se Ecclesiasticis mandatis pariturum;

turum, de damno illato, omnique offensa, plene satisfacturum; aut, si de damno non constet, vel solvendo non sit, cum de eo constabit, aut ad pinguiorem fortunam pervenit, se satisfacturum, cautionem præstare. *c. sacro. c. ex parte. 23. c. venerabili. 52. de sent. excom. c. 2. eod. in 6. c. Odoardus. de solution.*

Ea idonea erit, qualiscunque ab eo dari poterit; sufficit enim, si faciat quod in se est. *c. faciat. 22. qu. 1.*

Fieri debet Absolutio gratis, *c. ad aures nostras. 24. de simon. c. nullas Episcopus. 1. qu. 1. ratio in c. ad nostram. c. cum Ecclesia. de simon. libere*, non vi vel metu extorqueri; alias nulla est, & qui sic extorsit, ipso jure est excommunicatus. *c. 1. de his qua vi metusve caus. fiunt. in 6.*

Absolutio etiam per obreptionem impetrata non prodest. *c. officii. 42. in fin. de sent. excomm.*

Absolutione rite impetratâ: si à minore excommunicatione est excommunicatus, Sacramentorum Ecclesiasticorum participationi, à qua fuerat privatus, restituitur; si à majore, communioni aliisque rebus, à quibus per majoris excommunicationis sententiam excludebatur, restituitur.

Sed pro crimine excommunicatus & absolutus, cautione datâ de satisfaciendo, non liberabitur à vinculo, nisi prius pro eo satisfecerit. *c. ex literis. 29. de offic. & pot. jud. deleg. c. ex parte. in fin. de offic. deleg. c. 3. de usur. c. 1. de raptor.*

Pluribus excommunicationibus, licet ex eodem facto obnoxius, itidem non absolvitur, si de una tantum causa satisfacere velit. *c. cum pro causa. 27. de sent. excom.*

Quod diximus absolutum pro ratione excommunicationis majoris aut minoris, aut communioni, aut participationi Sacramentorum, restitui; locum habet in absolute simplicitè, non in ea quæ ad cautelam facta.

Ad

Ad cautelam dicitur fieri *absolutio*, cum quis excommunicationis sententiam asserit esse nullam, vel iudicem esse incompetentem, vel excommunicatum, vel intrusum, aut à jurisdictione suspensum, aliisque modis. *c. 2. c. solet. c. venerabilibus. c. presente. ubi Gloss. eod. in 6.*

Ea est valde extraordinaria, & multum præjudicialis: ut notat Rota decis. 426. incip. *si decanus. num. 3. in novis.* quia in ea iuramentum non recipitur; nec cautio præstatur, nec satisfactio impenditur; & ideo cum majore difficultate, quam simplex Absolutio, conceditur. *ut not. in d. c. venerabilibus.*

Conceditur in dubio, propter periculum, communionis vel læsionis justitiæ. *ut in d. c. solet. d. c. venerabilibus. c. veniens. de testib. c. Apostolica. de Cler. excomm. ministr. c. ad audientiam. de appell.*

Ea concessâ, pendente probationis articulo, absolutus extra iudicium, in officiis, postulationibus, electionibus, aliisque legitimis & canonicis actibus quidem admittitur, sed non in cæteris quæ actor in iudiciis attentaverit. *c. 2. de sent. excomm. in 6.*

De Interdicto.

TIT. XLV.

Quia non solum Excommunicatio, sed etiam Interdictum Ecclesiasticum, & suspensio, censuræ Ecclesiasticæ sunt species, *c. quarenti. 20. de verb. signif.* ideo de *Interdicto & Suspensione* sequuntur tituli.

Est *Interdictum*, hic, censura Ecclesiastica, *d. c. quarenti. 20.* qua certis personis, aut loco, à Iure, vel Iudice Ecclesiastico, divinis officiis, & sepultura, Sacramentorumque perceptione, donec imperatis satisfecerint, interdicitur. *c. fin. c. si sententia. 16. cum seqq. de sent. excomm. in 6.*

Est ergò Interdictum aliud *Canonis* aut juris, aliud *Iudicis*.

Iuris

Iuris est, quod ipso jure, sive ipso facto, inducitur. c. 3. §. praterea. vers. civitas. de election. in 6. c. 1. vers. qui verò. de usur. in 6. c. 5. de pœn. in 6.

Eo tenetur; communitas, vel civitas, quæ usuras permittit; usurarios non expellit; *d. c. 1. de usur. in 6.* repræsalias, contra personas Ecclesiasticas permittit, nec permissas intra mensem revocavit; *c. 1. de injur. in 6.* portorium, in rebus Ecclesiasticorum, quas negotiationis causa secum non deferunt, exegit, extorsit; *c. pen. de censib. in 6.* Cardinalem, vel Episcopum suum, cepit, aliis capientibus opem tulit, suavit, consuluit; *c. fin. de pœn. in 6. Clem. 1. eod. dominus territorii, qui Legatum vel Nuncium Apostolicum non admisit; c. 1. Ext. de consuet. universitas, vel civitas, quæ in electione Pontificis servanda non servavit; c. ubi periculum. c. fundamenta. de elect. in 6.* Ecclesia, sanguinis, vel humani seminis effusione polluta, vel simoniacè consecrata. *c. is qui. de sent. excom. in 6.*

Judicis interdictum, est quod per sententiam Judicis competentis inducitur.

Est hoc vel *Generale*; cum regnum, aut provincia, aut oppidum, aut pagus, aut eorum populus, *c. si sententiam. de sent. excom. in 6.* interdicatur; vel *Speciale*, cum, ex pluribus Ecclesiis, una vel pauca, interdicuntur: *c. si civitas. 17. de sent. excomm. in 6.* aut aliqua multitudo, sub certo vocabulo comprehensa, in populo tamen inclusa; ut Collegium, Capitulum, Universitas, *Sum. Ang. verb. Interdictum. 1.* aut homo nominatim, *d. c. si sententiam.* interdicatur.

Utrumque ad homines relatum dicitur *Personale*; ad loca, *Locale*, *d. c. si sententia.*

Interdicere possunt, Judices Ecclesiastici, qui excommunicare; *c. quarenti. 20. de verb. signif. c. cum ab Ecclesiarum pralatis. de offic. ordin. maxime Ordinarii; c. cum & plantare. §. 1. de privil. C. Episcoporum. de sent. excom. in 6. c. transmissam. de elect. Delegati; c. sane.*

in 2. de offic. deleg. Subdelegati; c. ex litteris. eod. Episcopus, cum Capitulo; c. 1. de his quæ sunt à major. part. Capit. Ecclesia vacante, Capitulum; c. grave. de offic. ord. Concilium Provinciale & Episcopale. Clem. 1. §. fin. & ibi Cardinalis. de sent. excom.

Qui temerè, aut sine causa, interdicere non debent.

Proinde interdictum & debet præcedere monitio, *c. statutum. 13. de sent. excom. in 6.* si ob contumaciam fit; non necesse, si ob delictum, *c. reprehensibilis. de appell. c. fin. §. qu. 3.* & illud fieri in scriptis, causâ, propter quam profertur, appositâ. *c. 1. vers. & hac eadem. eod. in 6.*

Ea erit, culpa, delictum, contumacia. *ut in c. ex rescripto. 9. de jurejur. c. non est vobis. de sponsal.*

Interdici possunt, ut diximus, loca vel personæ; & vel generaliter, vel specialiter. nisi sint privilegiatæ. *c. ne aliqui. de privileg. in 6. c. quoniam per concessionem. 21. de privileg.*

Interdictum loci, generale, & ad personas ejus, pertinet: *c. tanta. de excess. pralat. c. si sententia. de sent. excom. in 6. c. un. de torneam. Ext. si ex in culpa fuerint interdicti interponendi, alias non: d. c. si sententia. 16. & extenditur ad civitatis interdictæ suburbia, & ædificia continentia. c. si civitas. 17. de sent. excom. in 6.*

Sic interdictum speciale alicujus Ecclesiæ extenditur ad capellam & cœmeterium eidem Ecclesiæ contiguum. *d. c. si civitas. 17. §. ratione quoque.*

In interdicto personali stricta fit interpretatio. Unde si populus interdictus, non est propterea Clerus interdictus; & è contra Clero interdicto, non est interdictus populus. *d. c. si sententia. 16. in princ. ut nec interdicto Clero & populo, Episcopus. c. quia periculosum. 4. eod. in 6.*

Universitate interdicta, singuli qui ex ea universitate sunt, interdicti censentur. *d. c. si sententia. 16. §. cum vero.*

Tem-

Tempore interdicti, olim nulla officia Ecclesiastica poterant celebrari, nec audiri, *c. quod in te. 40. de pœnit. & remiss.* nec ulla Sacramenta, excepto Baptismo parvulorum, & pœnitentia morientium, concedi; *d. c. quod in te. c. non est vobis. 11. de sponsal. c. responso nostro. 43. de sent. excom.* Postea, baptismus, confirmatio, omnibus; Pœnitentia & Eucharista morientibus; *c. quoniam. 19. eod in 6. d. c. responso nostro.* non extrema unctio, *Gloss. c. quoniam baptismo. 19. de sent. excom.* Laicis, *c. cum & plantare. 36. §. et si templarii. de privileg.* omnino Clericis, *c. quod in te. 40. de pœn. & remission.* item Missæ aliorumque divinarum celebratio, permissa, *c. fin. vers. concedimus de sent. excom. in 6. d. c. responso. 43. d. c. quod in te.* antea semel in hebdomade, quibusdam Ecclesiis, & monasteriis, submissâ voce, januis clausis, campanis non pulsatis; *c. permittimus. de sent. excom. c. quod nonnullis. de privil. c. cum in partibus. 17. de verb. signif.* postea, singulis diebus, omnibus Ecclesiis, iisdem tamen observatis: præterquam in festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis D. Virginis, in quibus ea observari non necesse. *d. c. alma mater. fin. de sent. excom. in 6. & ad eum vide Covarruv.*

Aliter in loco interdicto, sacrificantes; *e. postulantis. §. quæsvistis. eod.* deponuntur, & si scienter hoc fecerint, ad beneficia eligi, postulari, vetantur. *c. is qui. 18. §. fin. de sent. excom. in 6. c. 1. de postul. Pralat.*

Interdictum, tam religiosi, exempti, non exempti, *c. 1. 3. de sent. excom. in 6.* quam locorum Domini, violantes, excommunicantur; *Clem. 2. eod.* nullâ appellatione obstante.

Tollitur interdictum, si ad tempus indictum, ejus lapsu: si sub conditione, ut *donec quis satisfecerit*, ejus existentia, *c. ex rescripto. de jurejur. c. non est vobis. de spons. sine alia absolutione. Abb. in d. c. non est vobis. num. 7.* Si simpliciter interdictum, absolutione; si est interdictum Iudicis, ejus qui interdixit, aut superioris; si Juris, Ordinarii,

vel Legati Apostolici, aut Papæ, si sibi eam reservavit.
Sum. Angel. verb. interdictum. 8. in princ.

Absolutio ad cautelam, in interdicto speciali, non in generali, habet locum. *c. present. de sent. excom. in 6. vid. Felin. ad s. Apostolica. de except.*

De Suspensione.

T I T. XLVI.

Suspensio, hic, est censura Ecclesiastica, *c. quarenti. 20. de verb. signific.* quâ personæ Ecclesiasticæ, exercitium sui officii, vel utriusque simul, in totum, vel pro parte, ad certum tempus, vel in perpetuum interdicitur. *fac. c. tuarum. 11. de privil. Gloss. in Clem. 3. verb. suspensi. de pœnis.*

Est duplex, vel *Canonis*, seu *Iuris*; vel *Judicis*.

Canonis est, cum quis ob notorium crimen ipso jure à sui ordinis vel officii executione arcetur.

Quamvis enim quilibet in peccato mortali constitutus quod ad se ipsum suspensus sit, tamen quoad alios non est suspensus; nisi hujusmodi peccatum per sententiam Judicis, aut confessionem in jure factam, aut rei evidentiam notatum sit. *c. ult. de cohabit. Cleric.*

Judicis suspensio est, cum quis per sententiam à dicta executione ex causa removetur.

Eam præcedere debet monitio; fieri in scripto, causâ expressâ. *c. 1. de sent. excom. in 6. junct. c. reprehensibilis. 26. de appell.*

Suspendi possunt tantum Clerici, non Laici, utpote qui officii sive ordinis Ecclesiastici sunt expertes, à cujus administratione seu executione Clerici suspenduntur.

Neutram suspensionem incurrit Episcopus, nisi de eo nominatim fiat mentio. *c. quia periculosum. de sent. excom. in 6. c. si compromissiones. de elect. in 6.*

Qui suspensione durante, officia divina exequuntur, irregularitatem incurrunt; à qua non nisi per Summum

Pon-

Pontificem possunt liberari. *c. 1. in fin. c. is qui. 18. §. 1. de sent. excom. in 6.*

Est *irregularitas* impedimentum Canonicum, quo quis prohibetur ordinem Ecclesiasticum suscipere, aut in suscepto ministrare.

Ea non incurritur; nisi in casibus à jure expressis. *c. is qui. 18. de sent. excom. in 6.* Est enim odiosa: propterea restringenda. *c. odia. de reg. in 6.*

De Remotione.

TIT. XLVII.

Remotio, seu *Depositio*, est de dignitate, ordine, gradu, deturbatio, vel eorum privatio.

Est vel *Verbalis*, & proprie *Depositio*; vel *Realis*, & *Degradatio*, dicitur.

Depositio fit per sententiam, à solo Episcopo, causâ, in jure expressâ, *c. 1. dist. 35. Decius in c. ut si Clerici. de judic. aut delicto graviore, c. tua. de pœn. Panorm. in c. fin. de Celebr. Miss. hoc suadente.*

Depositus Clericus, si celebrat, participatione corporis & sanguinis Domini, excommunicatione perpetua, demto viatico sub mortis articulo præbendo, privatur. *c. accedens. dist. 50.*

Depositus Curiaë seculari non relinquitur, *c. cum non ab homine. de judic. c. at si Clerici. eod. Panorm. post Cardin. in d. c. cum non ab homine. Innoc. in c. 1. de homicid. in 6. sed per Judices Ecclesiasticos, detrusione in monasterium, c. inter sollicitudines. in fin. de purgat. can. vel alia pœna, punitur; nisi sit incorrigibilis. Calest. in d. c. cum non ab homine.*

Degradatio, (*Depositio* solennis aliàs dicta. *in c. Episcopus. 11. qu. 3. c. 2. de pœn. in 6.*) est, post sententiam, insigniorum ordinum solennis detractio.

Solemmitas est; ut Episcopus proprius, si Abbas degradandus, præsentibus Abbatibus vicinis, *c. si quis Abbas. 18.*

qu. 2. c. miramur. & ibi Gloss. & Doct. de serv. non ord. si Presbyter, sex Episcopis, c. 1. de haret. in 6. si Clericus in minoribus ordinibus constitutus, præsentem capitulo, d. c. 2. de pœn. & ibi Gloss. in 6. c. qualiter. in 2. de accusat. c. 1. de excess. pralat. (Nisi alia sit consuetudo; c. 3. de consuet. Gloss. in d. c. 2. de pœnis. in 6.) coram iudice seculari, cui degradandus est tradendus, publicè Rei caput tondeat; loca capitis & manuum, in quibus tempore ordinationis unctio facta, vitro vel ferro radat; habitum seu vestimentum Clericale, ordine retrogrado, quo ei datum, ab extremo ad novissimum, eum exuat. d. c. 2. de pœnis. in 6. d. c. Episcopus. 11. qu. 3.

Habet Degradatio, inquit Lucas de Penna, in l. 1. C. de privil. Scholar. lib. 12. in tribus tantum locum; in hæretico, c. ad abolendam. §. 1. de haret. c. excommunicamus. eod. literarum Summi Pontificis falsatore, c. ad falsariorum. de crim. falsi. in eo qui Episcopo suo est infidiatus, velem calumniatus; c. si quis Sacerdotum. 11. qu. 1.

Degradatione solenniter facta, degradatus efficitur veluti Laicus, omni privilegio exutus & nudatus, & Curia seculari legibus ejus puniendus relinquitur. d. c. 2. de pœnis. in 6. c. novimus. de verb. signif.

Manet tamen in Degradato etiam actualiter character ordinis, & potestas, quamvis ei interdictum sit exercitium. c. quod quidam. 1. qu. 1. c. licite. 32. qu. 7.

Injiciens manum in degradatum, non incidit in Canonis Si quis suadente Diabolo. 17. qu. 4. pœnam: omnino in depositum manum injiciens. Gloss. in fin. c. 2. de pœnis. in 6. Panorm. ad d. c. ad abolendam.

De purgatione Canonica.

TIT. XLVIII.

Quod si Reus de crimine suspectus, convinci non possit, non absolvi, sed purgatione canonicâ innocentiam suam probare debet, c. si quis Presbyter. hic.

Est

Est purgatio, innocentiae super objecto crimine, certis à jure inventis mediis, facta ostensio.

Est vel *Canonica*, de qua hoc titulo; vel *Vulgaris*, de qua titulo sequente.

Canonica est, quae à Canonibus inventa & prodita; ut cum aliquis suo de veritate, & compurgantium juramento de credulitate, innocentiam suam ostendit. *c. 3. & c. de testibus. 13. hic.*

Indicere eam is Judex tantum potest, qui de negotio cognoscit, vel cognoscere debet, de quo diffamatur: ab alio statuta infamatum non relevat. *c. cum dilectis. 15. in fin. eod. c. ad audientiam. de consuet. c. licet. de offic. legat.*

Indicit is vel ad instantiam ejus qui purgandus est tantum, ut *c. cum in juventute. 12. hic.* vel à Judice injungitur de crimine gravi infamato, & tum aucto compurgantium numero, nisi à beneficio suspendi velit, praestanda; *in c. nos inter. 6. c. inter sollicitudines. eod.* Potest, sed non tenetur eam indicere Judex, si infamia ex probabilibus conjecturis ortum non habet. *d. c. cum in juventute. c. quod autem. sess. qu. fin.*

Injungi non debet cuilibet Reo, sed tantum fide digno, quem verisimile est non facile pejeraturum; *c. 1. & ibi Gloss. & Panorm. hic.* & ei qui neque legitimâ probatione, neque suâ confessione convictus est, *c. 3. & 6. eod.* neque crimen notorium admisit, *c. penult. eod.* de eo tamen apud bonos viros ex verisimilibus suspicionibus est diffamatus. *c. 4. 6. c. cum in juventute. 12. eod.*

Compurgantes (qui jurant, se reum credere à crimine immunem esse, & proinde verum juramentum eum praestitisse. *c. quoties. c. de testibus. eod. c. presbyter. 2. qu. 4.*) eligit Judex, vicinos rei, & honestos, vitam & conversationem ejus exploratam habentes; *c. cum P. Manconella. c. cum dilectus. eod. d. c. presbyter.* interdum duodecim, interdum septem, interdum pauciores pluresve, *c. 1. c. 8. hic. & passim. 2. qu. 5,* pro arbitrio, inspecta ipsius delicti,

licti, personæ rei & compurgatorum qualitate. *c. 8. in verb. sicut. expedire. c. significasti. 5. in verb. juxta arbitrium tuum. de adult. d. c. presbyter. c. quanto. 2. qu. 5.*

Locus purgationis debet esse idoneus.

Is est ubi infamatio apparet: ut si à populo infametur, coram populo; *arg. c. 1. de pœnis. c. ex tua. de simon. si inter clericos, coram illis, c. 2. fin. hic. c. qualiter. in 5. fin. de accusat. juramenti purgatio & compurgatio fiat.*

Purgatus crimine liberatur. In purgatione deficiens, legitimis pœnis, tanquam convictus aut confessus afficitur. *d. c. inter sollicitudines. 10. hic.*

De purgatione vulgari.

T I T. XLIX.

Purgatio vulgaris, quam olim vulgus usurpabat, fiebat per judicium aquæ frigidæ. *c. ex tuarum. 8. de purg. can. tactum ferri candentis, c. fin. hic. c. Mennam. c. consuluisti. 2. qu. 5. c. sententiam sanguinis. Ne Cleric. vel Monach. aquæ ferventis, d. c. Mennam. c. omnibus. c. consuluisti. 2. qu. 5. d. c. sententiam sanguinis. duellum. c. 1. & 2. hic.*

Hæc Canonibus improbata; Quia in iis potius Deus tentabatur & ad iracundiam provocabatur, quam verum habebatur innocentia testimonium. *c. fin. de purg. can. c. quæritur. 22. qu. 2. c. si nulla. 23. qu. fin.* Quia sæpe etiam per hoc fallax judicium, tentato Deo, innocens impiè ex præsumptionibus damnabatur, *c. significantibus. hic.* Dæmone miracula imitante, & ut innocenti illuderet, vel impium meritis pœnis liberaret, oculos perstringente.

FINIS LIBRI QUARTI ET ULTIMI,

O R-